


KRAGII
PARNENIDES
PLATONIS









PLATONIS PARMENIDES SEV DE IDEIS:

Latinè seorsim editus, & brevioribus notis illustratus, uberius prælectionibus publicis explicandus:

OPERA ET IMPENSIS ANDREÆ KRAGII Ripensis.

HAFNIÆ
Excudebat Iohannes Stockelman.

1598.

STVDIOSIS, MYSTERIA NATVRÆ IN ACADEMIA REGIA HAFNIACA perſcrutantibus, auditoribus ſuis, S:

VT TEMPERAREM ARISTOTELIS SVBtilitates & argutias elegantiâ, gravitate & majjeſtate Platonica, fidem vobis feci, ad finem perductis XIV. lib: Metaph: Ariſtotelis, qvod plus minus anno factum eſt, Dialogum aliqvem doctiorem Platonis publicis meis prælectionibus explicatum iri. Fidem vobis datam liberabit latinus Parmenides in lucem ſeorſim prodiens: qvi præter Eloqventiam admirandam, inſuper Philoſophiam de Ente & Ideis havd vulgarem veſtris inſtillabit animis. Siqvidem in hoc Dialogo non ſolùm alios omnes, verùm etiam ſemetipſum alibi populariter diſſerentem, ſuperare Plato dicitur. Edocebit hoc accuratiùs Analyſis: in qva me ita veſtris accomodabo ſtudiis, ut ſine operoſo labore qvaſi unico ſaltu duos capiatis lepores & operæ veſtræ pretium meritum. De interpretatione latina dicere ſuperſedeo, ne videar ex aliorum laboribus lavdes qværere, avt alienis me exornare plumis. Fateor nihilominus ingenuè, eam non eſſe ſolius Ficini avt Serrani; nec propterea omninò meam: Siqvidem nullius juravi in verba magiſtri: qvod neq; ſum in analyſi facturus: ſed ex vtroq; qvod videbatur commodum excerptum eſt. Vbi verò interpretes liberiùs ſuæ mentis ſenſa ſunt ſeqvuti qvàm Avtoris aſſeqvuti, non eram veritus meas etiam conjecturas addere: id ſedulò cum animo conſiderans, qvomodo latina græcis propriiſſimè & convenientiſſimè reſponderent. Tali itaq; Platonis Dialogo vos oblectate, auditores, dum alia Profeſſioni Phyſicæ deſtinata elimentur. Hafniæ Kal: Februa. Anno CIↃ IↃ IIC.

Andreas Kragius, Phyſices in Academia Regia Hafniaca Profeſſor.

DIALOGI PARMENIDIS PERSONÆ.

CEPHALVS, ADIMANTVS, ANTIPHO, GLAVCO, PYTHODORVS, SOCRATES, ZENO, PARMENIDES.

POSTQVAM ATHENAS domo è Clazomenis profecti essemus juxta forum in Adamantum & Glauconem fortuitò incidimus. Tum Adamantus, me manu prehendens, Salve, dixit, ô Cephale: & si qvo indigeas eorum qvæ in nostra potestate sunt sita, significa. Atqvi, respondebam, propterea advenio vestra opera indigens. Expone, respondit, tuam indigentiam. Tum ego dicebam. Fratri vestro germano qvod nomen erat? non enim memini: erat enim fermè puer, qvando primùm è Clazomenis huc accessi: longum verò, ex eo, tempus est. Patri avtem Pyrilampes nomen censeo fuisse. Omninò, inqvit. Ipsi avtem erat nomen Antipho. Sed qvid potissimùm qværis? Sunt inqvam, qvidam mei cives sapientiæ studio apprimè dediti, qvi inavdiverant, hunc Antiphontem Pythodoro qvodam Zenonis socio, multùm & familiariter usum: & sermones qvos olim Socra-

Occasio Dialogi illustrata personis seu Interlocutoribus, et loco quo Cephalus hunc Dialogum olim acceperat.

tes, Zeno & Parmenides inter sese contulerant, à Pythodoro sæpiùs auditos in memoria habere. Verum, inquit, dicis. Hos itaq́, dicebam, audire cupimus. At non est difficile, inquit: cùm adolescentulus eos studiose sit meditatus: nunc verò apud avum cognominem, rem equestrem tractans, ut plurimum est. Cæterùm, si opus est, ad eum eamus: modò enim hinc domum abiit, & habitat propè in Melita. Hæc dicentes, ivimus: & domi invenimus Antiphontem frænum quoddam conficiendum fabro tradentem. Postquam verò ab illo discessit, & fratres nostri adventus caussam significassent, agnovit me, quia priùs illuc accesseram, & comiter excepit. Rogantibus autem nobis, ut hosce sermones commemoraret, primùm recusavit, magni enim id esse laboris: postea tamen recitavit.

Personæ Dialogi præcipuæ.

Ajebat itaq́ Antipho, Pythodorum dicere, quod venere quondam ad magna Panathenæa, Zeno & Parmenides. Hunc autem Parmenidem oppidò quàm senem fuisse, vehementer canum, decorum tamen & conspectu pulchrum, annos natum circiter sexaginta quinq́ ad summum: Zenonem annos propè quadraginta natum, procerum & gratum visu. Dicebatur autem, ipsum Parmenidi fuisse à delitiis. Divertisse autem ipsos ad Pythodorum extra mœnia in ceramico:

Locus in quo habitũ erat hoc colloquium.

eodem etiam advenisse Socratem, & alios complures cum illo, cupientes audire scripta Zenonis tùm primùm

mùm ab ipsis advecta. Socratem autem tùm admodum fuisse juvenem: Zenonem autem ipsis prælegentem: Parmenidem fortè domo abfuisse: ac parum reliquum fuisse ex sermonibus ad legendum, inquit Pythodorus, quando ipse domum sit ingressus, cum Parmenide & Aristotele, qui ex illis triginta unus fuit: & se pauca illa reliqua ex illo scripto audivisse, & illud non jam primùm sed priùs à Zenone ipso accepisse.

Socratem igitur hæc audientem, primam, sermonis primi, hypothesin sibi jussisse relegi: quâ relectâ, sic dixisse: Quomodo ô Zeno hoc dicis? Si Entia multa sunt, oportere ea esse similia & dissimilia? Id enim impossibile est. Neq; enim dissimilia similia, neq; similia dissimilia esse possunt. Siccine loqueris? Sic respondisse Zenonem. Nonne, si impossibile est, dissimilia similia esse, & similia dissimilia esse, etiam impossibile sit multa esse. Sin autem multa sint, accideret aliquid impossibile & absurdum. Nonne hoc tui sermones volunt: neq; enim aliud conficiunt quàm multa non esse: & existimas singulos eorum esse tibi firmum argumentum: totidemq; argumenta te adhibuisse, quot sermones & rationes attulisti: quòd multa non sint. Sicne dicis? aut ego non rectè percipio? Non, respondisse Zenonem: sed optimè percepisti quid totum scriptum velit.

Propositio Dialogi principalis, summam eius continens: omnia unum esse.

Zeno idem cum Parmenide sentit & dicit sed mutatis uerbis.

Intelligo, dixisse Socratem, ô Parmenides, quod hic Zeno, non solùm in amicitia velit tecum conspirare, sed etiam scripto. Eodem enim modo scripsit quo tu, sed immutando, nos decipere tentat, ac si aliud quidpiam, quàm tu, dicat. Nam tu in Poëmatibus dicis: unum esse hoc totum seu universum, & horum firma argumenta prudenter & benè exhibes. Hic verò non esse multa dicit: & similiter adfert argumenta quàm plurima & optima. Alterum itaq; dicere, totum unum esse, alterum non multa, & utrumq; tamen loqui, ac si non idem inferrent, cùm tamen eadem fermè dicant, videntur ita dicta, ut nostrum captum superent. Certè, dixisse Zenonem, ô Socrates, sed non propterea istius scripti veritatem omninò percepisti: quamvis, ut Lacænæ canes, benè insistis & investigas quæ dicta sunt.

Error Socratis à Zenone monstratus.

Primùm enim hoc te præterit: non omninò ita adornatum esse hoc scriptum, ut si homines non assequantur in eo latentem sententiam, veluti dicis, propterea magnum aliquid confectum. Sed quod dicebas, sponte evenit: sunt enim revera hæc scripta pro sententia Parmenidis contra calumniatores, eum sugillare sustinentes: utpote si omnia unum essent, ridicula multa huic opinioni & sibi repugnantia evenire. Oppugnat igitur meum scriptum, asserentes multa: & plura vicissim regerit: declaratum, multò absurdiora se-

qui

qvi ex illorum sententia qvòd multa sint, qvàm ex hujus qvòd vnum sit: modò qvis accuratius examinaverit. Hoc contentionis æstu, juvenis librum hunc conscripsi, qvem suffuratus est mihi aliqvis, anteqvàm mihi liceret deliberare utrum in lucem edendus esset nec ne.

Id ergò te fugit ô Socrates: qvòd arbitreris non ex juvenili contentione, sed senili & lavdabili studio hoc scriptum fuisse. Sed vt dixi, non malè conjecisti. Accipio, respondisse Socratem, & existimo sic esse ut dicis. Sed hoc mihi expone.

Existimas ne speciem qvandam similitudinis, & eam ipsam per se esse? & huic aliam qvandam contrariam qvæ sit dissimilis? harum etiam duplicium specierum, me & te participes esse & alia qvæ rectè multa appellamus. Ea verò qvæ similitudine participant similia fieri, qvatenus participant? qvæ verò dissimilitudine dissimilia? qvæ utrisq; utraq;? Qvod si omnia, utrisq; contrariis existentibus, participent: qvid mirum est, ea, in eo qvòd utroq; participant similia & dissimilia inter se sunt? Si qvis enim ipsa similia dissimilia diceret, avt dissimilia similia, portentum qvoddam, opinor, esset. Sin avtem aliqvis participantia in utrisq;, utraq; pati assereret, nihil mihi, ô Zeno, absurdum videretur? neq; etiam mirarer si qvis unum omnia esse diceret, eò quòd uno participant:

Qvæstio de Ideis proposito maximè inserviens, utrum sint in rerū natura.

pant: & hæc rursus multa quod multitudine quoq; participant.

Multitudo Ideis, ex sententia Socratis non conuenit.

Sed si illud quod unum est, hoc multa esse ostenderit, & ipsa multa unum, hoc summopere admirabor: & de cœteris omnibus similiter. Si enim quis ipsa genera & species in seipsis recipere hæc contraria dixerit, admiratione dignum est: sin autem quis me demonstret unum esse & multa, quid mirum? dicens, quando vult me multa demonstrare, alia mea esse dextera, alia sinistra, alia anteriora, alia posteriora, superiora ac inferiora similiter: multitudinis enim, ut arbitror, sum particeps. Quando autem vult ostendere me unum esse, dixerit quod è septem nobis unus sim homo, unius etiam particeps: utrinq; autem verum dixerit. Si quis igitur talia conetur multa & unum demonstrare, lapides & ligna, & alia hujusmodi unum & multa ipsum ostendisse dicemus, non unum multa, nec multa unum, neq; mirabile quidpiam dixisse sed quod omnes confiteamur. At si quis eorum quæ nunc dixi, primum quidem species ipsas per se ipsas divideret seorsim, veluti similitudinem & dissimilitudinem, & multitudinem & unum, & motum & quietem, & omnia talia: deinde hæc in seipsis commisceri & secerni posse assereret, obstupescerem ô Zeno. Hæc autem viriliter & strenuè à te pertractata existimo.

Illud

Illud tamen multò magis admirarer, si qvis posset eandem qvæstionem in speciebus penitus implicitam & obscuram, qvemadmodum in visibilius exposita est, ita in iis qvæ ratione comprehenduntur, demonstrare. Loqvente hæc Socrate, dicebat Pythodorus, putasse Parmenidem & Zenonem in singulis offensos: eos enim diligenter animum advertisse, & freqventer se invicem respicientes, risisse, tanqvam Socratem admirantes.

Proponitur & confirmatur Idearum in mente unitas.

Illo avtem dicendi finem faciente, dixisse Parmenidem, Qvàm dignus es admiratione & lavde, ô Socrates, propter ardens tuum erga disciplinas studium! Verum dic mihi: Tu ne ita discrevisti, ut dicis, seorsim ipsas species, seorsim speciebus participantia.

Parmenidis disputatio de Idearum in mente unitate.

Et videtur ne tibi esse similitudo seorsim, cujjus & nos participes sumus: & unum, & multa, & omnia qvæ modo à Zenone avdivisti? Mihi sanè respondisse Socratem.

Est ne similitudinis Idea.

Num etiam talium, respondisse Parmenidem, ut videlicet, justi species, pulchri, boni & omnium aliorum similium. Profectò inqvit.

Vtrū Ideæ sint boni, pulchri, justi & similium.

Nunqvid speciem hominis seorsim à nobis & eorum ex qvibus nos omnes constamus, ut ita sit species hominis, ignis, aqvæ? Sæpenumero, inqvit, in hac dubitatione fui: utrum de hisce qvemadmodum de aliis esset dicendum, an verò secus.

Vtrum hominis & Elementorum sint Ideæ.

Rerum uilium & abjectarum sint ne Ideæ an non?

Qvid verò de hisce ô Socrates qvæ ridicula videntur, qvalia sunt crinis, lutum, sordes, & aliud qvoddam vilissimum & abjectissimum, dubitasne, utrum horum cujusq; sit dicenda species separatim posita, qvæ aliud qvidpiam sit ab iis qvæ nobis obversantur, an verò non? Neqvaqvam dixisse Socratem, sed hæc ipsa qvæ videmus, illa planè esse: illorum speciem qvandam arbitrari esse, perabsurdum fortè esset.

Correctio responsionis de Ideis rerū abjectarū & uilium: qua prouocantur auditores, ad earum diligentiorem inquisitionem.

Aliqvando tamen & hæc cogitatio me perturbavit: sit ne aliqvid in omnibus idem; sed ubi pavlisper institi, mox me revoco: veritus ne in nugas inexplicabiles incidens, perirem: Inde igitur reversus ad ea qvæ species in se habere diximus, & circa illa operam impendo.

Disputatores aliorum adhærentes opinionibus facilè aberrant: sed propterea animum abjicere juuenile & turpe est.

Iuvenis adhuc es, dixisse Parmenidem, ô Socrates, nec te adhuc Philosophia comprehendit, qvemadmodum te porrò mea opinione amplectetur, cùm nihil istorum negligas: nunc avtem propter ætatem ad hominum opiniones respicis, & iis adhæres. Hoc igitur dic mihi.

Positis Ideis, participationis Idearū uarii examinantur modi.

Videntur ne tibi, ut ajebas, species qvædam existere, & alia iis participantia illarum habere cognomina? Veluti similitudine participantia similia, magnitudine magna, pulchritudine & justicia pulchra & justa vocari? Maximè, respondisse Socratem.

Nonne

Nonne qvodcunq; est particeps speciei, vel totam speciem vel partem aliqvam participat: an qvæpiam est, præter hanc, participandi ratio? Qvomodo verò, inqvit Socrates, est alia?

Participatio totalis affirmatur.

Vtrum videtur tibi tota species in vnoqvoq; multorum esse, una tamen existens, an aliter? Qvid prohibet, dixisse Socratem, unam esse? Vnum igitur & idem existens, in multis seorsim existentibus, totum simul unum erit: atq; ita ipsum à seipso seorsim existit. Neqvaqvam, respondisse Socratem: verùm, sicut dies qvi unus & idem est, multis in locis simul est, nec tamen ipse à seipso secernitur: sic qvælibet specierum una in omnibus, idem tamen & unum simul erit.

Oppugnatur totalis participatio.

Explicatur totalis participatio diei exemplo.

Probe ô Socrates respondisse Parmenidem, unum & idem simul in multis ostendis: ac si multos homines velamine contegens, dicas unum in multis totum esse: nonne tale qvidpiam dicis? Forsitan respondisse. An ergò totum velamen singulis, vel pars ejus, alii etiam parti inerit? Pars. Divisibiles itaq; inqvit, ô Socrates, species erunt & illis participantia, partem participant: nec amplius in qvolibet tota species, sed pars unicujusq; unum erit. Sic apparet.

Participatio partialis refutatur.

Qvid igitur? nunqvid dixeris unam speciem revera dividi, & tamen unam esse. Nullo modo inqvit. Considera itaq;, respondisse, si ipsam magnitudi-

Magnitudo per se una est indiuisibilis.

nem dividas, & unumqvodq; plurium magnorum magnitudinis minore parte qvàm ipsa sit magnitudo, magnum erit, nonne à ratione alienum videbitur, Prorsus inqvit. Qvid verò, si unumqvodq; parum participat æqvali parte, habebit ne aliqvid, qvo, minore existente, qvam ipsum sit æqvale, id habeat qvod æqvale sit. Impossibile. Sed parvi partem aliqvis nostrum habebit: hac avtem ipsâ parvum erit majjus, cum ejus pars sit: & sic ipsum parvum majjus erit: id avtem cui ablata pars adjicitur minus erit, & non majjus qvàm prius erat. Id fieri non posse respondisse Socratem.

Conclusio disputationis de participatione totali & partiali.

Qvo igitur modo ô Socrates, respondisse illum, alia speciebus participabunt, cum nec secundum partes nec secundum totas iis participare possunt. Per Jovem, respondisse Socratem, non facile est illud explicare & demonstrare.

Examinantur Ideæ mente comprehensæ, et ad notiones fit Digressio.

Qvid verò ad illud dicis? Qvodnam? Arbitror te iccirco qvamlibet speciem unam putare, qvia cùm plura qvædam magna tibi videantur esse, una qvædam forsan Idea videatur omnia contemplanti; unde ipsum magnum unum esse arbitreris? Verum dicis, respondisse. Qvid verò si ipsum magnum & multa magna eodem tempore cum animo consideres per omnia: nonne unum qvoddam magnum iterum apparebit, qvo hæc omnia magna videri necessè sit. Videbitur. Alia

igitur

igitur ſpecies magnitudinis videbitur, qvæ ſit præter ipſam magnitudinem & participantia magnitudinē, & in iis rurſus omnibus aliud, qvo univerſa ſunt magna: nec amplius unaqvæq̃ ſpecierum tibi una erit, ſed multitudine infinitæ. Sed ô Parmenides reſpondiſſe Socratem. Harum forſan ſpecierum qvælibet eſt notio, nec alibi uſpiam qvàm in animis exiſtere poteſt: ſic enim unaqvæq̃ una erit, nec qvod modo dicebas amplius eveniet.

Qvid ergo? reſpondiſſe: Notionum qvælibet una ne eſt, an verò notio nullius eſt. Id impoſſibile eſt, reſpondiſſē, ſed alicujus. Certè exiſtentis vel non exiſtentis? Exiſtentis. Num unius cujuſdam, qvòd notio illa in omnibus ſeqvens, intelligit unam qvandam Ideam. Prorſus.

> Inſtituitur Diſputatio de Ideis mēte comprehenſis: quod meræ ſint notiones.

Deinde: eſt ne illud Idea, qvod animo comprehenditur unum eſſe, idem ſemper exiſtens in omnibus? Neceſſe videtur. Qvid verò, reſpondiſſe Parmenidem, neceſſe ne eſt, cum dicas alia Ideis participarē, ex notionibus unumqvodq̃ conſtarē, & omnia intelligerē: vel cùm ſint notiones nihil tamen intelligerē? Sed, reſpondiſſe, illud nullam habet rationem.

> A variis mentis conceptionibus.

Verum ô Parmenides, maximè mihi ita videtur habere: haſce ſpecies tanqvam exemplaria & paradigmata in natura exiſterē: alia verò hiſce aſſimilari, & fieri ſimilia, nec aliter participationem Ide-

> Notiones Socrati ſunt Paradigmata nec participatio per ſimilitudinē Parmenidi ſatisfacit.

arum fieri aliis, qvàm qvod illis aßimilentur easq́ repræsentent.

Si qvid igitur, respondit, speciei simile sit: fieri ne potest ut species illa non sit similis ei qvod ipsi factum est simile, qvatenus ipsi factum est simile: an verò est, qvod simile non sit simili simile? non est. Nonne planè necesse est, simile ejusdem speciei particeps esse, cujus est simile? Necesse. At qvo similia participantia similia fiunt, nonne illud est species? Omninò. Non potest itaq́ qvicqvam speciei simile esse, nec species alii cuipiam. Nam præter ipsam speciem alia emergeret species: & illa qvidem alii cuipiam esset similis & rursus alia: atq́ ita nunqvam desinerent novæ species gigni, qvin nova species semper occurreret, si species participanti similis sit. Verißima loqveris.

Conclusio participationis per similitudinem.

Non itaq́ per similitudinem reliqva speciebus participant: sed alius qvispiam investigandus est participandi modus. Apparet. Cernis igitur, ô Socrates, dixisse Parmenidem, qvanta dubitatio existat, si qvis species, qvatenus tales, inter sese distingvat? Valde. Scias insuper te non, ut ita dicam, omninò comprehendere qvalis sit addubitatio, si unamqvamq́ speciem ab aliis semper separatam posueris. Qvomodo verò dixisse? Multa qvidem & alia sunt, respondisse, verùm hoc est maximum, si qvis enim dixerit illas non opor-

Refutantur Ideæ separatæ quòd cognosci nequeant.

oportere cognosci, cùm tales sint qvales esse debere species, dicimus: ita dicentem nemo potest demonstrare falsa loqvi: nisi qvis multarum rerum fuerit peritus, ingeniosus, naturaq; felix, paratusq; demonstrantem conseqvi, plurima longis ambagibus inferentem: Nevtiq; enim ei hoc persvaderi potest, qvi ignotas illas esse contendit. Qvomodo, ô Parmenides, dixisse Socratem. Qvia ô Socrates, arbitror & te & qvemvis alium, qvi essentiam qvandam singularium per se existentem ponit, concessurum similiter nullam earum in nobis esse. Qvomodo, dixisse Socratem, ipsa secundum seipsam amplius esset? Rectè loqveris, dixisse. Nonne qvotcunq; ex Ideis invicem sunt qvæ sunt, ipsæ ad seipsas essentiam habent, non avtem ad ea qvæ in nobis sunt sev simulachra sev qvocunq; modo aliqvis ea posuerit avt nominaverit, qvibus nos participantes singula esse dicimur? Qvæ verò circa nos sunt illis æqvivoca, ipsa ad seipsa sunt non ad species, & suipsarum non verò illarum sunt qvæ ita appellantur. Qvomodo dicis, respondisse Socratem. Veluti si qvis nostrum, alicujus dominus avt servus sit: non ipsius domini qvatenus est dominus, illius servus est: neq; ejusdem servi qvatenus est servus, dominus est qvi dominus dicitur: sed qvatenus est homo hæc utraq; est. Ipsa verò dominatio ipsius servitutis est qvod est, & ipsa iterum servitus, est servitus ipsius dominationis.

Declaratio per similitudinem notiorem.

Verùm

Verùm non ea quæ in nobis sunt ad illa potestatem habent, neq; illa ad nos: sed ut dixi, ipsa suipsorum & ad seipsa sunt, & quæ in nobis sunt similiter ad seipsa respiciunt. Nonne intelligis quæ dico? prorsus, dixisse Socratem, intelligo.

Negatur amplius, Ideas esse meras notiones ne Deo sint incognitæ.

Nonne scientia, quatenus est scientia, illius ipsius quod est veritas, scientia est. Omnino quidem. Quælibet verò scientiarum, quæ est id quod est, alicujus existentium est scientia an verò non? Certè. Scientia verò quæ penes nos est, nonne veritatis circa nos scientia erit? Et rursus unaquæq; nostra scientia, uniuscujusq; quæ circa nos sunt, scientia erit? Necessè est. Atqui ipsas species, ut fateris, neq; habemus neq; fieri potest ut in nobis sint? Non profectò. Dignoscuntur ne singula genera, aliqua scientiæ specie? Certè. Hanc speciem nos minimè habemus. Non certè. Nulla igitur species à nobis dignoscitur: cùm ipsius scientiæ participes minimè simus. Non apparet. Ignotum igitur nobis est ipsum pulchrum & ipsum bonum, & omnia quæ ut Ideas esse arbitramur. Videtur. Considera & hoc diligentius. Quidnam? Nonne dixeris, si est ipsum quiddam scientiæ genus, ipsum multò exquisitius hac nostra scientia? & pulchritudinem ac alia eodem modo. Certè. Nonne si quid aliud est ipsius scientiæ particeps, nullum nisi Deum dices, habere hanc supremam scientiam? Necessè est.

Soli Deo conceditur exquisita rerum scientia.

Nun-

Nunqvid poterit Deus, hanc scientiam habens, qvæ circa nos sunt dignoscere? Qvid ni? Qvoniam, inqvit Parmenides, confessi sumus, ô Socrates, neq; illas species ad nostras vim habere qvam habent, neq; eas qvæ circa nos sunt ad illas: sed utraq; ad se ipsa referri. Consensimus. Qvamobrem si apud Deum suprema est dominatio atq; ipsa suprema scientia, nunqvam dominatio ipsarum nobis dominabitur, avt ipsa scientia nos cognoverit, avt aliud qvidpiam circa nos: Sed & nos iis, similiter non imperabimus nostro imperio, neq; divinum qvicqvam nostrâ scientiâ percipiemus. Et illi item, eadem ratione non erunt nostri domini, neq;, cum Dii sint, res humanas cognoscent. Nonne valdè absurda esset oratio si qvis Deum scientiâ privaret?

Hæc nimirum, ô Socrates, & alia pleraq;, dixit Parmenides, necessè est speciebus evenire: siqvidem eæ rerum sint Ideæ, & ab iis ipsam rerum singularum formam qvis separet: ut dubitet meritò hæc avdiens, sint ne Ideæ: & si maximè sint, necessè valdè sit eas humanæ naturæ esse incognitas: eumq; qvi hæc dicit, aliqvid qvidem dicere videri, sed illud mox, ut pavlò antè dicebatur, mirum & incredibile videri? & viri admodum ingeniosi & optimæ naturæ esse, posse percipere: qvid sit genus unicujusq;, & essentia ipsa per sese. Et majori etiam admiratione dignus erit

Concluditur disputatio de Idearum noticia nobis denegata: & quod difficile sit ipsa rerum genera dignoscere.

qvi hæc alium docere potest, sufficienter omnia discernentem. Concedo tibi, ô Parmenides, inqvit Socrates, planè enim ex mei animi sententia loqveris.

Sublatis speciebus & Ideis sequitur rerum incertitudo, & scientiarũ confusio.

Sed, inqvit Parmenides, si qvis, Socrates, non concesserit species rerum esse, respiciens ad ea qvæ nunc dicta sunt & alia: is neq; distingvet species uniuscujusq;, neq; quò animum convertat, habebit: minimè permittens Ideam rerum existentium semper eandem esse: & ita differendi facultatem omninò tollet & evertet. Talem qvandam rationem tu qvoq; potius videris sensisse. Verum dicis, respondisse. Qvid itaq; Philosophia facies? Qvò, hæc ignorans, te vertes, non satis in præsentia videor mihi animadvertere. Nam priusqvam te exercueras, ô Socrates, definire conaris, qvid pulchrum, justum, bonum, & aliarum qvælibet specierum: hoc enim prius animadverti, avdiens cum hoc Aristotele te disputantem. Pulcher qvidem & divinus est hic impetus qvi ad rationes & disputationes fert: sed teipsum cohibe & exerce te potius in illa facultate qvæ inutilis dicitur esse, & à multis qvædam garrulitas nuncupatur dum juvenis es, si non te effugiet veritas. Qvis verò ô Parmenides, respondisse, hujus exercitationis modus? Hic, inqvit, qvem à Zenone avdivisti.

Præcipitantia juuenilis in studiis noxia.

Vsus Dialectices.

Sed

Sed etiam illud tuum, adversus hunc, dictum miratus sum: cùm diceres non in iis qvæ oculis percipiuntur, avt circa errorem, qvi in iis est, sistere cogitationem oportere: sed circa ea maximè qvæ ratione comprehenduntur, & verè existere qvis putet.

Consideratio Idearum absurdum de scientiarum incertitudine tollit.

Mihi enim, inqvit, hoc videtur non esse arduum, similia & dißimilia cæteraq; qvæ rebus conveniunt explicare. Et præclare qvidem inqvit. Oportet etiam præterea illud præstare: non modo, si est aliqvid supponas, considerare qvæ ex hac hypothesi proveniunt: verum etiam si non sit supponas, si modo recte exerceri velis. Qvomodo dicis? respondisse. Qvemadmodum, dixit, si velis de hac hypothesi disserere, qvam Zeno attulit. Si multa sunt, Qvid oporteat accidere ipsis multis ad se ipsa & ad unum, & uni ad seipsum & ad multa. Ac rursus si non sint multa, considerare oportet qvid eveniet uni & multis & ad se ipsa & invicem. Et rursus si positum fuerit, qvod sit similitudo, vel non sit, qvid potißimum contingat ex utraq; positione, tàm hypothesibus hisce, qvàm cæteris omnibus ad se ipsa & invicem. Eadem qvoq; ratio est de dißimilibus, de motu, qviete, generatione & corruptione, esse & non esse: Et, ut uno verbo dicam, de qvocunq; supponitur, avt esse avt non esse, avt

Conclusio disputationis, quod Ideæ sunt: cum repetitione argumentorum id confirmantium.

aliam qvandam paßionem suscipere. Considerandæ avtem sunt qvæ ex hac positione proveniant, & ad seipsum & ad qvodvis aliorum qvod elegeris & ad plura & ad universa similiter: Et alia rursus ad seipsa atq; ad aliud quodcunq; semper elegeris, sive ut Ens sive ut non Ens illud posueris: Si modò volueris perfectè exercitatus, propriè veritatem ipsam contemplari.

Præfatio ad nouam disputationem, und ejus obscuritatem indicans, ad animos auditorum delectandos et detinendos.

Arduum, inqvit, opus narras, ô Parmenides, & te non omninò intelligo. Qvin tuipse aliqvid potius qvod volueris, posueris: ut te rectiùs intelligam. Magnum onus, ô Socrates, seni imponis. Cur potius, ô Zeno, dixisse Socratem, tu ipse hanc rem non exponis nobis? Zenonem avtem postqvam subrisisset, dixisse: Ipsum, ô Socrates, rogemus Parmenidem: non enim leve est qvod proponit. An non vides qvantum onus mihi imponis? Si avtem essemus plures havd æqvum esset id postulare. Indecorum enim, in præsentia multorum talia tractare, & id potißimum seni. Ignorant enim multi, qvod absq; hoc, per omnia, discursu & disqvisitione, impoßibile sit conseqvi mentem veritatis compotem. Ego itaq; ô Parmenides, unà cum Socrate rogo, ut aliqvamdiu te avdiam. Hæc cùm dixisset Zeno, ajebat Antipho dixisse Pythodorum, ipsum Aristotelem & alios rogasse Parmenidem, ut qvod dixerat demonstraret, nec aliter faceret.

Amplificatur obscuritas dum ad ejus declarationẽ Zenonis imploratur auxilium.

Tum,

Tum, dixisse Parmenidem: etsi mihi videtur id nobis accidere quod ibico equo: cui & athletæ & seniori curruum subituro certamen, & propter experientiam eventum pertimescenti, Ibicus se ipsum conferens: invitus, inquit, jam senex ad amores redire cogor. Eodem modo ego valdè trepidare videor, cogitans quo pacto oportet me existentem senem tale & tantum sermonum & rationum pelagus differendo contemplari. Vobis tamen gratificari oportet, quandoquidem id jubet Zeno: iidem enim sumus. Undè igitur incipiemus: & quid primùm proponemus? An vultis postquam laboriosum ludum ingressi sumus, à me ipso exordiar & mea præpositione, de ipso uno dicturus, sive unum sit sive non, quid oporteat accidere? Omninò, respondisse Zenonem, Quis igitur, dixisse, mihi respondebit? junior ne? minus enim mihi facesset negotii, & quæ sentit maximè respondebit: & simul ejus responsio me minimum fatigabit. Paratus sum ô Parmenides, inquit Aristoteles, me namq; designas cùm de juniore loqueris: Sed, interroga tanquam libenter tibi responsurum.

Idem fit Parmenidis responsione.

Iuuenum quales sunt disputationes.

Age igitur, dixisse, Si unum est, non utiq; multa erit ipsum unum. Quomodo enim sit? Neq; igitur partem illius neq; totum esse oportet. Cur verò? Pars enim utiq; totius pars est. Certè. Quid verò totum? Nonne totum est cui nulla pars deest? Omninò.

Vnum non est multa: quia caret partibus.

Vtrinq; ergò unum ex partibus constaret totum existens & partes habens. Necessè. Vtrinq; rursus ipsum unum multa erit & non unum. Verum. Oportet autem non multa sed unum ipsum existere. Oportet. Neq; igitur totum erit neq; partes habebit si unum fuerit ipsum unum. Non certè.

Vnũ expers partiũ neq; principium, neq; finem neq; medium habet.

Itaq; si nullam habet partem, neq; principium neq; finem neq; medium habebit: partes enim ipsius hæc essent. Rectè. Qvinetiam finis & principium termini uniuscujusq; sunt. Qvidni?

Vnũ est Infinitum & absq; omni figura.

Infinitum igitur est ipsum unum, si principium finemq; non habeat. Infinitum, est absq; figura sanè: neq; enim rotundi neq; recti particeps est. Qvomodo?

Rotundum quid.

Rotundum enim illud nimirum est, cujjus extrema undiq; à medio æqvè distant. Certè.

Rectũ quid.

Rectum verò, cujjus medium extremis utrisq; è regione est. Sic. Igitur partes haberet ipsum unum, multaq; esset, si rectæ avt circularis figuræ esset particeps. Omninò qvidem. Neq; igitur rectum neq; rotundum est, qvandoqvidem partes non habet. Rectè.

vnum nusquam est.

Non est in alio.

Qvinetiam tale existens nusqvam est: neq; enim in alio neq; in seipso esse potest. Cur sanè? In alio enim existens circulo qvodam, ab eo in qvo esset, concluderetur: passimq; ab illo & multis partibus tangeretur. At verò cum indivisibile sit expers rotunditatis, impossi-

poßibile est, multis locis & modis circulo tangi. Impoßibile.

Verum si ipsum in seipso esset, ipsum seipsum complecteretur, non aliud quàm seipsum existens: dummodo in seipso sit. Impoßibile enim est quicquam in alio esse, ut ab eo non comprehendatur. Impoßibile certè. Annon enim aliud esset ipsum ut comprehendens, aliud ut comprehensum? Non enim ipsum idem totum, utraq; hæc simul pateretur & faceret. Et ita ipsum, non amplius unum fuerit sed duo. Nequaquam. Quare etiam ipsum unum nusquam est, non in seipso nec in alio existens. Nusquam sanè est.

Non in seipso.

Considera quæso, num quod ita habeat potest stare aut moveri. Quid ni? Quod enim movetur, aut fertur, aut alteratur: hi quippe soli sunt motus. Certè.

Vnũ est expers motus.

Motus species alteratio & latio.

Alteratum enim unum in seipso, impoßibile est amplius unum esse. Impoßibile. Quare etiam minimè secundum alterationem movetur. Non apparet.

Alteratio quid est.

Nonne latione? Fortaßis. Atqui si ipsum feratur, vel in eodem motu circulari circumfertur, vel locum alium ex alio mutat. Neceßè. Nonne quod in circulo circumfertur, in medio consistere oportet, & quæ circa medium versentur, alias habere sui partes? Cui verò neq; medium neq; pars ulla competit, qua ratione id in circulo circa medium ferri potest? Nulla. Anne locum transiens aliter alibi fit, atq; ita movetur?

Latio quid.

Lationis species.

Si fortè ita contingit. Nonne esse ipsum in aliqvo, ut impoßibile est demonstratum? Prorsus. An non magis impoßibile est ipsum in aliqvo fieri? Non satis intelligo. Si in aliqvo fit aliqvid, neceßè est illud non penitus in illo esse, cùm adhuc in illo fiat; neq; etiam prorsus extra illud esse, cùm in eo jam fiat. Neceßè. Si ergò aliqvid aliud patitur, hoc solùm patitur cujus partes sunt. Partìm enim in illo jam est qvod patitur, partìm simul extra. Qvod avtem partes non habet, nunqvam in aliqvo totum esse simul potest, vel intra vel extra. Verum est. Cujus enim partes non sunt, illud neq; totum est: multò enim magis impoßibile est, illud alicubi fieri, avt secundum partes avt secundum totum. Videtur. Qvare nec aliqvo pergens, nec in aliqvo manens locum immutat, nec etiam in eodem revolutum, nec alteratum. Non videtur. Secundum qvemlibet itaq; motum, unum est immobile. Immobile.

Vnum non quiescit.

Præterea diximus impoßibile esse, unum alicui inesse. Diximus sanè. Non igitur unqvam est in eodem. Cur verò? Qvoniam jam in illo esset in qvo eodem est. Neqvaqvam. Vnum igitur nunqvam est in eodem. Non videtur. Qvod verò nunqvam in eodem existit, neq; qvietem agit neq; stat. Fieri non potest. Iccircò unum neq; stare neq; moveri videtur. Non videtur.

Item

Item nec alteri nec sibiipsi idem est: rursusque nec à seipso, nec ab alio erit alterum. Qvid ita? Si à seipso alterum esset, ab uno esset alterum, nec esset unum. Verum. Si verò alteri idem fuerit, illud qvidem erit, non avtem erit illud qvod est. Qvapropter nec ita erit ipsum, qvod unum, sed aliud præter unum. Neqvaqvam. Idem igitur, alteri avt à seipso, alterum non erit. Non sanè. Sed neque, alterum ab alio esse potest, qvatenus est vnum: non enim uni convenit ab aliqvo alterum esse, sed soli ei qvod alterum est ab alio; alteri avtem non convenit. Rectè. Ex eo igitur qvod unum est non erit alterum. Nonne sic putas? Neqvaqvam. Qvod nisi hôc, non seipso erit. Si non seipso neque ipsum. Ipsum verò nullo pacto alterum existens, à nullo alterum est. Rectè. Neque verò idem sibiipsi erit. Qvomodo non? Non eadem est unius natura qvæ est ipsius ejusdem. Qvare? Qvia non postqvam idem fit aliqvid alicui, unum fit. Qva de cavsa? Qvod multis idem fit, multa necessè est fieri, non unum. Verum. Atqvi si ipsum unum, & idem nihil differrent, qvoties aliqvid idem fieret, unum etiam semper fieret: qvotiesque unum, semper & idem. Prorsus. Si itaque ipsum unum sibiipsi idem erit, non unum sibi existet: atque ita unum existens, non erit unum. Id impossibile est: impossibile itaque etiam est ipsum unum, avt alterum ab altero, avt sibiipsi idem esse. Impossibile.

unum nec est idem nec alterum aut sibiipsi aut alteri.

Vnum non est simile aut dissimile aut sibi aut alteri.

Sic itaq; unum, alterum avt idem, nec sibiipsi nec alteri esse poterit. Non Hercle. Sed neq; simile neq; dissimile cujpiam avt sibi avt alteri. Qvi sic? Qvia simile est, cuj idem qviddam accidit. Certè. Ipsum tamen idem ab uno naturâ distingvi, ex superioribus notum est. Notum sanè est. Veruntamen si qvid præter id, qvod est unum esse, ipsum unum recipit, patitur jam plura esse qvàm unum. Id avtem impossibile est. Profectò. Neqvaqvam igitur ipsum unum patitur idem esse vel sibiipsi vel alteri. Non videtur. Ergò neq; etiam idem erit simile avt alteri avt sibiipsi. Sic apparet.

Nihilominus tamen unum, esse alterum minimè sustinet: sic enim plura qvàm unum pateretur. Plura sanè. Qvod verò alterum avt à seipso avt ab alio fit: dissimile qvoq; avt sibiipsi avt alteri efficitur: Qvandoqvidem illud etiam, qvod patitur simile, fiat. Probè. Vnum avtem ipsum, ut apparet, cùm alterum nullo modo susceperit nunqvam qvoq; dissimile sive sibiipsi sive alteri fiet. Nunqvam. Neq; igitur vel simile vel dissimile avt sibiipsi avt alteri erit ipsum unum Non videtur.

Vnum non est æquale aut inæquale aut sibiipsi aut alteri.

Deinde tale existens, nec æqvale nec inæqvale erit avt sibiipsi avt alteri: Qvid ita? Æqvale enim existens, earundem mensurarum est cum eo cui est æqvale. Certè. Majjus verò avt minus existens, qvod

ad

ad illa quibus est commensurabile, minoribus quidem plures habet mensuras, majoribus autem pauciores. Certè. Quibus autem incommensurabile est, partìm minorum, partìm majorum mensurarum erit. Quidni? Nonne impoßibile est, quod minimè est particeps ejusdem, aut mensuras easdem aut aliud quodvis idem participare. Impòßibile. Æquale igitur nec sibiipsi nec alteri erit: easdem mensuras non habens. Minimè ut apparet. Quinetiam si pluribus aut paucioribus mensuris circumscribatur, totidem partibus, quot mensuris constabit? Et sic rursus non unum erit, sed tot, quot sunt mensuræ. Rectè. Quod si unius mensuræ sit, æquale fiet ipsi mensuræ. Hoc autem impoßibile videbatur, ipsum alicui æquale esse. Videbatur sanè. Quod si itaq; neq; unius mensuræ particeps est, neq; multarum, neq; paucarum, neq; ullo modo ejjusdem, nequaquam sibiipsi erit æquale, ut videtur, nec etiam alteri; nec majus præterea nec minus vel seipso vel alio. Omninò ita est. Poßibile ne est antiquius aut junius aliquo, vel etiam coætaneum ipsum unum esse, ut apparet? Quidni? Quoniam si eandem habeat ætatem secum vel cum alio, æqualitate temporis & similitudine participabit: cùm tamen diximus unum non esse particeps similitudinis aut æqualitatis. Diximus sanè.

Vnum nullo est junius, non antiquius: aut coætaneum alicui.

Nonne hoc quoq; diximus: nec dissimilitudinis nec imparitatis particeps esse? Omnino. Quomodo itaq; quod hujusmodi est, senius aut junius aliquo, aut eandem habere ætatem potest? Nullo. Quare ipsum unum nec junius nec senius erit, nec eandem ætatem aut ad seipsum aut ad aliud habet. Non apparet.

Vnū non est in tempore.

Nec etiam ipsum unum, si tale est, in tempore erit unquam. Nonne enim necessè est, quicquid est in tempore semper seipso senius fieri? Necessè. Et quod senius, semper juniori senius. Quid ni? Itaq; quod seipso fit senius, etiam fit junius seipso: siquidem aliquo senius esse debet. Quomodo dicis? Hoc modo. Diversum alterum alteri nihil fieri oportet, cum jam sit diversum: sed jam existentis jam esse: præteriti præteriisse: futuri fore. Ejus verò quod fit, nec præteriisse, nec fore, nec esse, diversum est: sed fieri, nec aliter esse. Necessè sanè. Atqui senius diversum est junioris & nullius alterius. Est sanè. Quod ergò seipso fit senius necessè est seipso etiam junius fieri. Apparet. Quinetiam nec longiori fieri nec breviori, sed per æquale semper tempus senius sibiipsi fieri & esse & fuisse, & fore. Necessaria sunt hæc. Necessarium ergò videtur quodlibet eorum quæ in tempore sunt, & tali participant, eandem secum ætatem habere, ac senius seipso simul & junius fieri. Videtur.

detur. Ipsi autem uni nulla prorsus harum affectionum accidit. Neqvaqvam. Nullius ergò temporis est particeps, nec in aliqvo est tempore. Non sanè, ut ratio dictitat.

Qvid igitur. Erat, fuit, fiebat, nonne participationem temporis aliqvando præteriti significare videntur? Profectò. At verò, erit, fiet, factum fuerit, nonne futurum denotant? Certè. Est autem & fit, nonne sunt præsentis temporis? Sunt omninò. Si ergò ipsum unum nullo participat tempore, non sanè unqvam fuit, nec fit, nec est, nec fiet, nec factum erit, nec erit, neq; unqvam generabitur. Verißima sunt hæc.

Nulla temporis circumstantia uni competit.

Potest ne qvicqvam aliter particeps esse qvàm aliqvo horum modorum. Non potest. Non igitur unum essentiæ particeps est. Non videtur. Non igitur est ipsum unum. Non apparet? Non itaq; sic est ut sit unum: esset enim jam Ens & essentiæ particeps: Immo, ut videtur, ipsum unum, nec unum est, nec est, si huic rationi credendum. Apparet.

Vnum non est Essentiæ particeps.

Ei verò qvod non est, num est aliqvid qvatenus est non Ens, qvod sit ipsi aut ipsius? At qvomodò? Non itaq; nomen illi est, non sermo, non scientia, non sensus, non opinio. Non videtur. Qvapropter nec nominatur, nec dicitur, nec opinione cogitatur, nec cognoscitur, nec ab aliqvo eorum qvæ sunt sentitur.

Non videtur. Poßibile ne eſt iſta circa ipſum unum ſic ſe habere? Non, ut mihi videtur.

Repetitio propoſitionis neceſſaria et grata.

Vis ne igitur rurſus ad noſtram poſitionem redeamus, ſi qvid nobis eandem retractantibus, diverſum videatur? Magnopere hoc cupio. Nonne ſi ipſum unum eſt, diximus qvæ circa illud eveniunt, cujuſmodi illa eſſe oporteat, & qvomodo diſtingvenda? Nonne ſic? Certè.

Animadverte itaq; à principio. Vnum ſi eſt, poßibile ne eſt ipſum eſſe, & eſſentia non participare? Impoßibile. Nonne, ſi eſſentia unius ſit, hoc idem qvod ipſum unum erit? alioqvin ſi idem, non utiq; illius eſſentia eſſet, neq; ipſum unum illa participaſſet: Sed perinde eſſet dicere, & unum eſſe, & unum, unum. Nunc avtem non eſt eadem poſitio, ſcilicet ſi unum, aliqvid eventurum, ſed ſi unum ſit. Nonne ita? Omninò. Nonne ita, ac ſi aliud qvidpiam ſignificet Eſt, qvàm ipſum unnm? Neceſſè. Nonne unum Eſſentia participare, avt verò aliud qvidpiam ſignificamus, qvando compendio unum eſſe dicimus? Omninò.

verum Ens & unum ſint Idem?

Rurſus itaq; dicamus: Si unum eſt, qvidnam eveniet? Vide igitur. An non neceſſè eſt, hanc poſitionem ipſum unum ejuſmodi ſignificare, ut partes habeat? Qvomodo, Hoc nimirùm. Si eſt de uno Ente dicitur, & ipſum unum de Ente uno: Eſt avtem idem

Eſſen-

Essentia & unum, eodem autem, ut posuimus, existente uno: nonne necessè est totum quidem unum Ens ipsum esse: ejusq; partes tàm unum quàm esse existere. Necessè est.

Utrum verò utramq; harum partium partem solùm appellamus; an partem totius partem appellare oportet? Totius. Totum igitur est, quod unum est & habet partem. Prorsus. Quid verò? Num hæ partes unius Entis, unum videlicet & Ens, ita se invicem deserunt: ut ipsi Enti unum, & ipsi Uni Ens desit? Nequaquam. Itaq; pars quælibet & unum simul & Ens complectitur; adeo ut pars quælibet ex duabus saltem particulis constituatur: & secundum eandem rationem semper, quæcunq; pars occurrit, utraq; semper in ea claudatur. Etenim Unum complectitur semper Ens, & Ens vicissim unum. Unde cùm ubiq; duo emergant, necessè est nunquam unum existere. Omninò. Nonne hoc pacto Unum Ens, infinita multitudo erit? Videtur.

Quomodo unum fieri potest multa?

Agedum consideremus ampliùs & hac ratione. Quâ? Diximus unum essentia participare, quatenus est Ens. Certè. Et propter hanc caussam, unum Ens, multa esse videbatur. Sic. Quid verò, si ipsum unum, quod essentiæ particeps diximus, ipsum secundum seipsum sola intelligentia comprehendemus, seorsim ab illo cujus particeps esse diximus: nunquid unum solum

lum apparebit? an etiam multa hoc ipsum? Vnum solum puto. Consideremus jam & aliud qvidpiam. Alterum qviddam necesse est ipsius Essentiam esse, alterum verò ipsum. Siqvidem ipsum unum non Essentiæ, sed Essentia ut unius particeps est. Necessè. Qvod si alterum est Essentia, alterum verò ipsum unum; ipsum unum non eò qvod unum est, ab Essentia alterum est, neq; Essentia qvatenus Essentia, ab uno est altera: sed per id qvod est per se alterum, & ipsum per se aliud, altera sunt invicem. Prorsus. Qvocirca ipsum alterum nec uni nec Essentiæ idem est. Qvomodo enim?

Amplificatio disputationis de uno & Ente.

Qvid ergò si elegerimus ex istis, sive Essentiam & alterum, sive Essentiam & unum, sive unum & alterum; nonne in qvalibet assumptione eliciemus qvædam, qvæ meritò ambo appellari possunt? Qvomodo? Sic. Licetne Essentiam dicere? Licet. Et rursus dicere unum? Et illud. Nonne utrumq; illorum dictum est? Dictum utrumq;. Qvoties Essentiam & unum dixero, nonne ambo dixero? Planè. Nonne si Essentia & alterum, vel alterum & unum, & sic in singulis ambo dico? Sanè. Qvatenus verò ambo rectè appellata sunt, nunqvid possunt ambo esse neq; tamen esse duo? Neqvaqvam. Qvæ duo sunt, potest ne aliqva esse ratio, ut unumqvodq; illorum non sit unum. Minimè. Qvoniam igitur accidit ista simul duo esse,

idcir-

idcirco unumquodq; unum existit. Videtur. Si unumquodlibet eorum est, & utrumq; unum mutuo quodam conjugio invicem est connexum, nonne tria existunt omnia? Tria verò nonne imparia, duo nonne paria? Quid ni? Quid verò? cùm duo sint, nonne necessè est, bis esse; Et tribus existentibus, ter; Siquidem duobus inest bis unum, tribus ter unum. Necessè. Duobus existentibus & bis, nonne necessè est bis duo esse? Et tribus existentibus & ter, nonne necessè est ter tria esse. Cur non? Quid verò? tribus existentibus & bis, & duobus existentibus & ter, nonne necessè est tria bis esse, & bis tria. Prorsus. Erunt igitur pariter paria & impariter imparia, nec non imparia pariter, & impariter paria.

Numerus rebus inest numeratis.

Si hæc ita habeant, num putas ullum numerum relinqui, qui non necessariò illic insit? Nequiquam. Si igitur est unum, necessè est & numerum esse. Necessè. Numero autem existente, multa etiam erunt, & infinita Entium multitudo; aut non infinitus multudine numerus, essentiæ particeps fit. Ita omninò.

Essentia ut numerus in rebus multis inest.

Nonne si totus numerus Essentiæ est particeps, etiam quælibet numeri pars ejusdem erit particeps? Erit. Per omnia igitur quæ multa sunt Essentia distribuitur, nec ab aliquo eorum quæ sunt abest, aut minimo aut maximo. De eo dubitare absurdum est: quomodo enim Essentia, ab aliquo existentium aberit?

 Nulla-

Nullatenus. Divisa est igitur, quoad fieri potest, in minima & maxima, & ea quae quocunque modo sunt, maximeque omnium est divisa, & infinitae sunt Essentiae partes. Ita res habet. Plurimae igitur sunt ipsius partes. Plurimae sane. Quid igitur?

Pars essentiae unum aliquid est.

Est ne aliquid ex hisce quod quidem est Essentiae pars, non tamen pars ipsa, unum quiddam sit? At quomodo id fieret? Sed quandoquidem, opinor, est, necesse est ipsam semper, quamdiu est, unum aliquid esse: nihil autem esse, fieri non potest. Necesse. Non solum ergo universae essentiae, sed illius etiam singulis partibus unum adest, non deserens aut majjorem aut minorem partem, sive quomodocunque se habeat. Sic.

Quomodo partes unius & totius habeant rationem.

Nunquid unum existens, ubique simul est totum? Accurate id perspice. Considero quidem: & id impossibile video. Divisum igitur, nisi totum. Neque enim aliter universis Essentiae partibus aderit quam divisum. Certe. Caeterum quod divisibile est, necesse est totidem esse, quot sunt partes. Non itaque vera loquebamur modo, dicentes quod Essentia in plures partes esset divisa: non enim in plura quam unum dividitur, sed, ut apparet, in aequalia uni. Neque enim Ens uni, neque Enti unum deest: Sed haec duo potius per omnia coaequantur. Omnino sic apparet. Ipsum igitur unum ab Essentia distributum mul-

ta &

ta & infinita multitudo est. Videtur. Non solùm igitur unum Ens, multa est, sed & ipsum unum ab Essentia distributum multa esse oportet. Omnino sic. Qvinetiam qvia partes, totius sunt partes, definitum secundum totum erit unum. Annon comprehenduntur partes à toto? Necessè est. Qvod avtem comprehendit terminus erit. Qvid ni? Qvare. Vnum Ens, unum qvodammodo est & multa, & totum & partes, & finitum & multitudine infinitum. Apparet. Nonne cùm definitum sit, extrema qvoq; habet? Necessè est.

Deinde si totum est, principium, medium & finem habebit? an verò totum aliqvid absq; hisce tribus est? Et si qvid ipsorum, ab eo qvod est unum, distat, totum ne ulterius futurum est? Non futurum. Qvamobrem, ut apparet, principium, medium & finem unum habebit. Habet. Medium verò æqvo intervallo ab extremis undiq; distat, alioqvin non esset medium. Non certè.

Vnum ut totum videtur habere principium, medium, & finem.

Præterea cùm tale sit unum figuræ cujusdam erit particeps, sev rectæ, sev circularis sev alterius ex ambabus compositæ. Particeps sanè erit.

Quomodo unum videtur habere figuram?

Qvinetiam qvod hujusmodi est, ipsum in seipso & in alio erit. Qvomodo? Qvælibet pars in toto est, nec ulla extra totum erit. Sic. Omnes ne partes toto comprehenduntur? Ita. At omnes partes ipsius, unum

Quomodo unum in seipso comprehenditur.

unum est, neq; quid plus minusve quàm omnes. Non sanè. Nonne & totum unum est? Quid ni? Si igitur omnes partes sunt in toto, & omnes sunt unum, & ipsum totum, comprehendantur autem sub toto omnes, ab uno utiq; unum comprehendatur: atq; ita unum ipsum in seipso erit. Videtur.

Negatur totum esse in suis partibus.

Verumtamen rursus totum in partibus minime est, nec in omnibus nec in aliqua. Si enim in omnibus, necessè etiam est in una: Et si in una quadam non sit, in cunctis esse non poterit. Sin autem hoc unum cunctis constat, & in eo totum, non uno, quo modo unum amplius in omnibus unum erit? Nequaquam. Neq; verò in ullis partibus. Nam si in quibusdam totum esset, majjus in minori esset, quod est impossibile. Certè impossibile est.

Totum igitur aut erit in alio, aut nuspiam.

Cùm itaq; totum nec in pluribus, nec in una, nec in omnibus partibus insit, nonne necessè ipsum in alio quopiam existere, aut nusquam existere? Necessè. Nonne si nusquam sit, nihil penitus erit? totum enim cùm sit, neq; sit in seipso, necessè est in alio esse. Prorsus. Quatenus igitur unum est totum, in alio est: quatenus verò omnia partes ejjus sunt, ipsum in seipso est: & proinde necessè est unum esse in seipso & in alio. Necessè.

Quod nusquam est nihil est.

Vnum videtur stare aut moueri.

Et cùm talis sit unius natura, nonne necessè est illud & moveri & stare? Curnam? Stat enim, quoniam

niam ipsum in seipso est. Qvod enim in uno est, ab eo non digrediens, in eodem est in semetipso existens. Est profectò. Verùm qvod in eodem semper est, stare semper oportet. Omninò. At qvod in alio semper est, in eodem nunqvam esse necessè est: si nunqvam eodem, nunqvam stare: qvod avtem non stat, moveri. Sic. Qvare necessè est Vnum, cùm in seipso & in alio sit, semper moveri & stare. Videtur.

Stat.

Movetur.

Qvinetiam oportet idem esse ipsum sibiipsi, & alterum à seipso, & aliis eodem modo idem & alterum, siqvidem superiora illi competunt. Qvomodo? Sic enim unumqvodq; ad qvodlibet habet, ut vel idem sit vel alterum: sin verò nec idem nec aliud, pars ejjus erit, erga qvod ita se habet, veluti ad partem eritq; totum. Videtur. Nunqvid ipsum unum suiipsius pars est. Neqvaqvam. Non igitur ad seipsum totum erit, qvasi suiipsius sit pars. Non sanè fieri potest. Nonne alterum qvid est unum ab uno? Minimè. Non itaq; à seipso alterum. Non sanè. Si igitur nec alterum, nec totum, nec pars ad seipsum est, nonne necessè idem ipsum sibiipsi esse. Necessè est. Qvid verò? qvod alibi est qvàm ipsum ejjusdem, existens in semetipso, nonne necessè est alterum à seipso esse, siqvidem sit alibi? Mihi sic videtur. Sic videbatur unum se habere, in seipso scilicet & in alio esse. Patuit sanè. Ex hoc igitur constat, unum à seipso esse al-

Idem quomodo videtur sibiipsi idem & alterum & aliis eodem modo idem & alterum.

Vnum non est sibiipsi pars.

Non totum.

Non est sibiipsi alterũ.

Vnum non est sibiipsi idem.

Vnum non est alteri alterum.

terum. *Videtur.* Qvid verò, si qvidpiam alterum est, non ne alterius existentis alterum erit? Necessè. Nonne qvæcunq; non sunt unum, omnia unius altera, & unum eorum qvæ non sunt unum? Qvid ni? Vnum igitur erit alterum aliorum. *Alterum.* Vide præterea num idem ipsum & alterum contraria sint inter sese? Qvid ni? Poterit ne idem in altero aut alterum in eodem unqvam consistere? Nunqvam. Si igitur alterum in eodem nunqvam erit, nihil est ex iis qvæ existunt in qvo est alterum ullo tempore. Nam si per aliqvod tempus sit in aliqvo, per idem tempus in eodem erit ipsum alterum. Nonne sic? Sic. Postqvam verò nunqvam in eodem est, neutiqvam in aliqvo existentium erit ipsum alterum. *Vera dicis.* Idcirco nec iis qvæ non sunt unum, nec in uno erit ipsum alterum. Non sanè.

Non est alteri idem.

Nec etiam unum ab iis qvæ non unum, & qvæ non unum ab uno per ipsum alterum altera esse neqveunt. Non. Qvod nisi participent ipso altero, altera secundum seipsa invicem esse non poterunt. Qvomodo enim? Atqvi si neq; seipsis, neq; altero altera sunt, altera invicem esse nullo modo possunt. Nullo. At ea qvæ unum non sunt, uno minimè participant: non enim essent non unum sed qvodammodo unum. *Vera narras.*

Idcir-

Idcirco qvæ non sunt unum, neq; numerus sunt. Alioqvin non planè essent unius expertia, aliqvem habentia numerum.

Quæ non sunt unum non sunt numerus.

Non certè. An verò qvæ non sunt unum partes unius sunt: avt sic fortè participarent uno, qvæ unum non sunt? Participarent. Si avtem hoc qvidem omninò unum est, illa verò non, neq; pars unum erit eorum qvæ uon unum, neq; totum ut pars: neq; rursus qvæ non sunt unum unius erunt partes, neq; etiam tota, qvasi Vnum pars existat. Minimè.

Non unum, neq; pars neq; totum unius est.

Cæterùm diximus qvæ neq; partes, neq; tota, neq; invicem altera, eadem invicem esse debere. Diximus sanè. Dixerimus ne itaq; & Vnum, cùm ita se habeat ad ea qvæ non sunt unum, illis idem esse? Dixerimus sanè. Vnum igitur, ut apparet, alterum qviddam est ab aliis & à seipso, & idem cum illis & seipso. Ex hoc sermone videtur confici.

Vnum videtur alterum à seipso & ab aliis, & idem cum illis et seipso.

Nunqvid simile qvoq; & dissimile sibiipsi & cæteris? Fortassis. Qvandoqvidem alterum ab aliis esse patuit, alia qvoq; ab illo altera erunt. Qvid ni? An non ita ab aliis alterum, ut ab illo etiam alia, nec magis qvicqvam nec minus? Qvid obstat? Si nec magis nec minus, reliqvum est ut similiter. Certè.

Vnum videtur simile & dissimile sibiipsi & aliis.

Porrò

Porrò si uni contingit ut sit alterum ab aliis, eodem modo qvo ab illo alia; seqvitur ut eadem conditio tàm uni quàm aliis competat. Qvomodo dicis? Sic. Vnumqvodq́ nomen nonne propriam rem significat? Sic existimo. Qvid verò? Idem nomen vel sæpiùs vel semel pronuncias? Sic. Vtrum qvando semel effers, illud appellas cujus est nomen? qvando verò sæpiùs non illud? an potius sive semel sive iterum idem nomen pronunciaveris, planè necesse sit te semper idem dicere? Qvid ni? Nonne alterum nomen, alicui rei significandæ impositum? Est. Cùm itaq́ illud pronuncias sive semel sive sæpiùs non ad aliud refers, neq́ aliud qvidqvam nominas, qvàm illud cujus est nomen. Necessè est. Qvando igitur dicimus alia esse alterum ab uno, & alterum esse unum ab aliis, bis hoc alterum pronunciantes, nunqvam ad aliud qviddam significandum adducimus, qvàm ad id, cujus naturæ significandæ hoc nomen erat institutum. Omninò. Si ergo unum alterum est ab aliis, & alia ab uno, secundum illud non secundum aliud afficietur alterum, sed eodem modo qvo unum in aliis efficitur.

Vnius & alterius eadem conditio.

Nomen rem propriam significat.

Qvodcunq́ verò idem patitur simile est, nonne? Certè. Qvatenus verò unum ita affectum est, ut alterum sit ab aliis, secundum hoc idem qvodlibet cujlibet simile est; qvodlibet enim est à qvolibet alterum. Apparet.

Vnum cum patitur idem cum altero, simile est alteri.

Est

Est ne simile dissimili contrarium? Certè. Nonne ipsum alterum ipsi ejidem. Et hoc. Atqvi & hoc apparuit, qvod ipsum unum aliis & idem & alterum sit? Apparuit. Contraria avtem passio est, esse idem ab aliis, & esse alterum ab aliis. Omninò. Qvatenus tamen alterum, simile apparuit. Ita. Qvatenus igitur idem, dissimile erit, secundum passionem contrariam eji affectioni, qvæ simile effecerat. Alterum avtem nónne à simili? Profectò. Ipsum ergò idem dissimile reddet; alioqvin ipsius alterius contrarium minimè erit. Apparet. Vnum igitur simile & dissimile est aliis: qvatenus enim alterum, simile: qvâ verò idem, dissimile. Talem, ut videtur, rationem habet. Et sanè habet. Qvam? Qvatenus idem patitur non alienum passum esse: Si non alienum, neq; dissimile: Si non dissimile, simile esse. Sin enim aliud passum fuerit, etiam alienum: Alienum avtem existens, dissimile esse. Vera dicis. Cùm igitur unum sit idem aliis, & cùm sit alterum, secundum ambo hæc & secundum unumqvodq;, simile atq; dissimile aliis erit. Omninò. Igitur & sibiipsi eodem modo, siqvidem alterum à seipso & sibiipsi idem apparuit, secundum ambo & secundum unumqvodq; simile ac dissimile apparebit. Necessè est.

Simile dissimili contrarium.

Considera præterea, qvomodo unum ad tangendum vel non tangendum seipsum & alia se habeat.

Vnum quomodo seipsum & alia tangit & non tangit?

Considero. Ipsum unum in seipso toto esse apparuit. Probè. An non unum in aliis? Qvatenus igitur in aliis, alia tangit: qvatenus in seipso, tangere qvidem alia impeditur, seipsum verò tangit cùm in seipso sit. Videtur. Sic itaq; unum seipsum tangit & alia. Tangit.

Tactus quomodo fit:

Qvid verò ad hæc? Nonne qvodcunq; tacturum est aliqvid, ordine illi apponi debet, qvod tanget: eam sedem habens, qvæ seqvitur illius sedem, in qva cùm positum fuerit tanget. Necessè. Idcircò unum si seipsum tangere debet, continuò post seipsum debet ordinari, proximam sedem occupans, illius in qvo ipsum unum est. Oportet omninò. Nonne unum si duo esset, hæc efficeret: & duobus simul in locis esset: donec verò unum est, minimè? Neqvaqvam. Eadem ergò necessitas efficit, neq; unum duo esse, neq; sese tangere. Eadem.

Vnum nec est duo nec se tangit.

Vnum quomodo alia tangit.

At nihilo magis alia tanget. Cur verò? Qvia diximus, qvod tacturum est aliqvid seorsim positum, proximum illi qvod tangendum est, oportere esse: tertium verò illorum intermedium esse nullum. Vera. Qvapropter duo ad minimum esse oportet, qvoties futurus est tactus. Oportet. Sin avtem præter duos terminos, tertium qviddam intervenerit, ipsa qvidem tria erunt, tactus verò duo. Certè. Atq; ita

Ad tactum requiruntur ad minimum duo.

sem-

semper uno adjecto, unus tactus adjicitur: & evenit ipsos tactus à numerorum multitudine, uno superari. Qvantò enim prima duo, tactus ipsos exuperarunt, ita ut plura numero qvàm tactus essent: tantò deinceps numerus universus omnes tactus excedit. Etenim in posterum, unum simul additur numero, & unus tactus, tactibus apponitur. Rectè. Qvot igitur sunt ea, qvæ numero sunt, totidem semper erunt tactus, uno excepto. Vera loqveris. Itaq; si unum solùm, nec est binarius, tactus nullus erit. Qvomodo verò? Nonne diximus, ea qvæ alia sunt ab uno, neq; unum esse, neq; cum eo qvicqvam participare, donec alia sunt? Minimè. Non igitur unum numerus est in aliis, cùm unum non sit in ipsis. Qvomodo. Neq; igitur unum est alia, neq; duo, neq; alterius cujusdam numeri nomen habet. Non. Ipsum igitur Vnum: binarius non est. Non videtur? Tactus itaq; non est, cùm duo non sint. Non est. Neq; igitur Vnum alia tangit, nec illa unum: siqvidem nullus est tactus. Nevtiqvam. Ex hisce omnibus, unum se & alia tangit pariter & non tangit. Apparet.

Vnum nec est binarius nec tactus.

Nonne & par & impar est sibi & aliis? Qvomodo? Si unum majus esset qvàm alia, vel etiam minus, avt alia rursus majora avt minora qvàm unum: nonne unum qvatenus unum, & alia qvatenus alia

Vnum non est par aut impar aut sibi ipsi aut aliis.

quàm unum, aut majora aut minora invicem ipsis substantiis essent? Verùm si præter hæc, utraq; æqualitatem haberent, æqualia invicem essent. Sin autem hæc quidem magnitudinem, illa parvitatem haberent, cujcunq; speciei magnitudo adesset, major existeret: cujcunq; parvitas, minor. Necesse. Nonne sunt duæ quædam hujjusmodi species, Magnitudo & parvitas? Etenim nisi essent, nunquam contrariæ existerent & rebus ipsis inessent. Quomodo verò? Si enim uni parvitas inesset aut toti aut parti cujpiam inesset. Necessè est. Si toti insit, vel ex æquo per totum ipsum extensum erit, vel ipsum complectetur. Manifestum est. Ex æquo uni infusa parvitas, nonne æqualis uni erit? Complectens verò major? Quomodo non? Possibile ne est, parvitatem æqualem alicui esse, aut aliquo majorem? & magnitudinis parvitatisq; effecta, non suiipsius, exercere? Impossibile. Igitur in uno toto non erit parvitas. Sed fortassis ut in parte. Certè. Non tamen in tota parte. Alioquin eadem efficeret adversus partem quæ adversus totum: quippe cùm æqualis erit aut etiam major ipsa parte cuj semper inerit. Necessè est. Nulli igitur unquam rei parvitas inerit, cùm neq; in parte, neq; in toto sit: neq; etiam aliud erit parvum, quàm ipsa parvitas. Non videtur.

Parvitas uni non inest.

Parvitas toti non inest.

Parvitas non inest parti.

Magnitudo in parvitate non inest.

Neq; etiam magnitudo in ipso inerit. Majjus enim esset aliud præter ipsam magnitudinem, illud videlicet

delicet cui inerit magnitudo: idq; cùm parvum non sit:
quod oporteat illud superari à magno, si quid magnum
sit, quod est impoßibile, quandoquidem nusquam in-
est parvitas. Vera loqueris. Quinetiam magnitudo
ipsa nullo erit alio majjor quam parvitate: neq; par-
vitas ipsa alio quopiam minor quàm ipsa magnitudi-
ne. Neutiquam. Quamobrem cætera, neq; majjo-
ra neq; minora uno sunt, neq; magnitudinem neq; parvi-
tatem habentia. Neq; verò hæc duo adversus ipsum
unum aliquam vim habebunt, quâ vel excedant vel
excedantur, sed inter se invicem. Neq; etiam rursus
ipsum unum, aut hisce duobus aut aliis quibuslibet
majjus aut minus erit: cùm nec magnitudinem nec
parvitatem habeat. Sic utiq; apparet.

Vnum nec superat, nec superatur.

Itaq; cùm unum neq; sit majjus neq; minus quàm
alia, necessè est ipsum neq; superare neq; superari. Ne-
cessè est. Nonne quod neq; superat neq; superatur ne-
cessè est ex æquo esse? Quid ni? Atq; hoc pacto
ipsum unum ad sese habet, neq; magnitudinem neq; par-
vitatem in sese habens: ut nec exuperet seipsum nec
exuperetur, sed ex æquo se habens æquale semper si-
biipsi sit. Omninò. Vnum igitur & sibi & aliis æ-
quale erit. Videtur. Atqui cùm unum in seipso sit,
& circa seipsum fuerit extrinsecus id complectens,
majjus seipso erit: quod enim comprehenditur minus
erit. Atq; ita unum seipso & majjus erit & minus.
Erit.

Nonne necessè est, nihil esse extra unum & alia? Qvid ni? Item qvicqvid est, nonne semper alicubi esse oportet? Certè. Nonne qvod in aliqvo est, in majori est, cùm ipsum sit minus? neq; enim aliter aliud est in alio: Neqvaqvam. Postqvam verò nihil est præter unum & alia, & oportet illa in aliqvo esse, nonne necessè est illa in sese invicem esse? alia videlicet in uno, & in aliis unum, avt nusqvam esse? Videtur. Qvia ergò unum est in aliis, idcircò alia majora sunt qvàm unum, ipsum complectentia: unum avtem aliis minus, qvod ab iis comprehendatur. Qvia verò alia in uno sunt ob eandem cavssam unum majus erit, alia verò minora: Videtur. Vnum itaq; æqvale & majus & minus seipso est & aliis. Videtur. Si majus & æqvale & minus, æqvalium erit mensurarum plurium & pavciorum, & ad seipsum & ad alia: Et si mensurarum, partium qvoq;. Qvid prohibet? Æqvales ergò mensuras, plures, & pavciores habens, numero qvoq; plus & minus erit & ad seipsum & ad alia: nec non æqvale sibiipsi & aliis similiter. Qvomodo? Plures habet mensuras, qvàm illa qvibus est majus: & qvot mensuras, tot etiam partes: Qvibus verò minus eodem modo: Qvibus verò æqvale similiter. Sic. Nonne igitur, cùm majus & minus & æqvale seipso sit, æqvalium etiam mensurarum plurium & pavcio-

Nihil est extra unum & alia.

Quicquid est, alicubi est.

Vnum quomodo in aliis est.

Quomodo alia sunt in uno.

Vnum uidetur æquale, majus & minus seipso & aliis.

Videtur etiam unum, æqualium mensurarũ, & partium esse.

Vnum uidetur plus & minus esse numero.

pauciorum erit: Et si mensurarum etiam partium. Quid ni? Cùm autem partes sibiipsi habeat æquales, multitudine etiam æquale sibi erit: Plures verò plus: pauciores verò minus numero semetipso. Videtur. Nonne etiam ad alia eodem modo se unum habebit? Quia verò majus illis apparet, necessè est plus quàm illa numero esse: quia verò minus magnitudine etiam numero minus: quia deniq; æquale in magnitudine, numero quoq; par esse aliis. Necessè. Hoc pacto rursus, ut apparet, unum par, plus, minus, secundum numerum seipso erit & aliis. Erit.

Nunquid & tempore unum participat? & est & fit junius & senius seipso & aliis: & contrà nec junius nec senius, seipso & aliis dum tempore participat? Quomodo? Esse illi competit cùm unum sit. Certè. Ipsum esse quid aliud est, quàm Essentiæ participatio cum tempore præsenti, erat cum præterito, erit cum futuro, essentiæ ipsius est communicatio? Est sanè. Ergo temporis est particeps, si esse participat. Omninò. Nonne progredientis temporis? Certè. Semper ergo senius seipso fit, siquidem secundum tempus percurrit. Necessè est. Meminimus ne, quod senius semper fit senius eo quod junius fit. Meminimus. Nonne igitur postquam unum seipso fit senius, seipso dum fit junius, fit & senius? Necessa-

Vtrum unum tempore participat?

Vnum est.

Esse quid?

Senius quomodo fit aliquid?

Necessarium est. Fit ergò hoc modo junius seipso & senius. Certè. Est ne verò senius quando præsens tempus attingit, quod medium intercedit inter erat & erit? neq; enim currens ex præterito in futurum, præsens ipsum transgredietur. Nequaquam. Nonne tunc desinit fieri senius, cum præsens tangit, nec tum fit, sed est jam senius? Progrediens enim ab ipso præsenti minimè comprehenditur, quod enim progreditur sic se habet, ut utrumq; præsens & futurum, attingat; præsens quidem relinquens, futurum apprehendens, & inter utrumq;, præsens & futurum, medium cedat. Vera dicis. Si verò necessè est, quod fit, ipsum præsens minimè transgredi, cùm primum illud nactum est, fieri desinit, estq; tunc jam illud quod fiebat. Videtur. Vnum igitur quando senius factum, ipsum præsens assequitur, desinit fieri, estq; jam senius. Omninò. An non illo senius est quo fiebat senius? fiebat autem seipso. Certè. Senius autem juniori senius? Est. Iunius ergò seipso, tunc est unum, quando factum senius ipsum nunc assequitur. Necessè. Ipsum autem præsens semper uni adest per universum esse, semper enim est præsens quamdiu est. Quid ni? Semper igitur est & fit unum seipso senius & junius. Apparet.

Tempus uerũ longius aut breuius fiat quam unum aut æquale.

Quid verò, longius ne vel brevius tempus est aut fit, quàm ipsum unum, aut verò æquale? Æquale.

At

At verò qvod æqvale tempus est avt fit, eandem agit ætatem. Qvid ni? Qvod avtem eandem habet ætatem neq; senius est neq; junius. Non. Vnum itaq; cùm æqvale tempus ad seipsum & sit & fiat, neq; junius neq; senius seipso est, neq; fit. Mihi non videtur.

Qvid verò ad alia? Non possum dicere. Hoc tamen habes dicere, qvod ab uno, siqvidem altera sunt, non alterum, plura sunt qvàm unum. Nam si alterum unum esset; altera qvum sint, plura qvàm unum sunt, & multitudinem habent. Habent. Multitudo avtem majorem numerum qvàm unum habet. Certè. Qvid verò? Ex iis qvæ ad numerum spectant, dicimus nè ea prius facta, qvæ plura sunt, avt qvæ pavciora? Pavciora. Pavcissimum ergò est primum: hoc avtem est unum: Nonne? Sic. Vnum ergò primum omnium factum est eorum qvæ numerum habent. Habent avtem cætera omnia numerum: siqvidem alia sunt, non aliud. Habent sanè. Primum avtem qvod factum prius extitit, alia verò posterius. Posterius verò facta, juniora sunt qvam id qvod factum est prius: ac proinde alia erunt juniora uno: unum avtem aliis antiqvius. Sit.

Altera sunt plura quam unum.

Plura habent multitudinem.

Multitudo habet majorem numerum quam unum.

Paucißimũ & Vnum est primum.

Qvid avtem hoc? Num unum effici præter suam naturam potest; vel id potius est impossibile? Impossibile. At verò unum partes habere apparuit:

Vnum præter suam naturam effici non potest.

 qvod

Unum si habet partes, etiam principium, finem & medium habet. quod si partes, etiam principium, finem & medium. Certè. Nonne omnium primum fit principium unius, & reliquorum cujusq; : & post principium, cætera usq; ad finem omnia? Quid ni? Nonne dicemus hæc omnia esse partes totius & unius? & illud ipsum simul cum fine unum totumq; factum fuisse? Dicemus sanè.

Principium est et postea reliqua.

Finis postremo fit.

Finis autem, ut arbitror, postremò fit: unum autem simul cum hoc fit. Quare si necessè est unum non fieri præter naturam, cum fine simul confectum, postremum omnium naturæ suæ jure perficitur. Apparet. Iunius itaq; est aliis unum, aliaq; uno antiquiora. Ita rursus mihi videtur. Quid verò principium, aut aliam quamlibet unius partem, aut verò cujuscunq; alterius, si modo pars sit non partes, nonne unum est siquidem pars existit? Necessè. Quare unum simul cùm primo effecto fit, simulq; etiam cum secundo, & nulli reliquorum quæ fiunt deest, cujcunq; tandem adfuerit: donec ad extremum perveniens, unum totum fiat; non à primo, medio, ultimo, aut alio prorsus ullo in generatione exclusum. Verum. Unum igitur eandem cum aliis habet ætatem: ut si unum præter naturam minimè sit constitutum, planè neq; prius neq; posterius cæteris erit, sed simul. Atq; secundum hanc rationem, Unum neq; senius neq; junius aliis est, neq; alia uno: sed secundum rationem superiorem, unum & senius simul & junius aliis est, & alia illo similiter.

Principium, cum pars sit, est unum.

ter.

ter. Omninò sic est. Hoc itaq; modo se habet, & ita effectum est.

Verùm qvidnam de eo sentis, qvod dicitur, unum fieri senius atq; junius aliis, aliaq; uno; ac etiam neq; junius neq; senius fieri? Vtrum etiam eadem ratione se habet circa ipsum fieri, qva circa ipsum esse habere prædiximus, an aliter? Qvid dicam nescio. Ego verò tantum: qvod si qvid antiqvius sit alio, ipsum antiqvius adhuc fieri, qvam tùm primum ubi natum est, secundum ætatis intervallum distabat, minimè potest; neq; etiam qvod junius est in posterum fieri junius. Nam æqvalia inæqvalibus addita, sive tempori sive alteri cujlibet, eodem intervallo distare faciunt qvo antea illa distabant. Qvid ni? Non igitur qvod est, eo qvod unum est, avt senius avt junius fieri potest; qvandoqvidem eadem ætate distat: sed est & fuit hoc qvidem senius, illud avtem junius, fit verò minimè. Vera narras. Ita id qvod unum est, cæteris qvæcunq; sunt, nunqvam vel junius vel senius efficitur. Nunqvam.

Quomodo unum se habeat circa fieri.

Quid antiquius fit?

Quid fit junius?

Sed animadverte, num alia qvadam ratione & juniora & seniora fiant? Qvanam? Hac verò: utrum aliis antiqvius fit unum: & alia uno? Qvid tum? Qvandoqvidem unum senius est qvàm cætera, longius id tempus extitit qvàm alia. Certè. Rursus avtem animadverte; si longiori & breviori tempori par

Vtrum alia aliqua ratione seniora vel juniora fiant?

 tempus

tempus adjiciamus, num æqva parte discrepabit longius à breviori, an minore? Minore. Vnum igitur, non tanto temporis intervallo alia deinceps excedet, qvanto prius excesserat; sed par tempus cum iis consecutum, minus semper qvàm prius ab illis ætate distabit. Nonne? Certè. Nonne qvod minus excedit aliqvid ætate qvàm prius, junius fit qvàm prius, qvo ad illa qvibus erat antiqvius? Iunius. Si illud junius, nonne alia illa, si cum uno conferas, seniora qvàm prius erunt? Omninò. Qvod igitur junius antè fiebat, senius fit ad illud qvod antè fiebat, eratq; senius. Est avtem nunqvam senius, sed illo semper senius fit. Illud porrò juvenescit: hoc verò senescit. Senius avtem rursus juniori fit junius similiter. Nam cùm ista in contrarium tendant, contraria invicem fiunt. Iunius qvidem seniori senius: senius avtem junius juniori. Facta verò fuisse neqveunt. Nam si facta fuissent: non amplius fierent, sed jam essent. Nunc verò juniora & seniora invicem fiunt. Vnum qvidem aliis fit junius, qvod senius esse apparuit & prius natum. Cætera verò seniora qvàm unum fiunt, qvod posteriora facta fuerint. Et secundum eandem rationem, alia qvoq; similiter ad unum se habent: qvandoqvidem ipso antiqviora & priora extitisse constiterit. Ita videtur. An non qvâ ratione nevtrum illorum vel fit junius vel senius,

ex

ex eo quod pari numero inter se differunt, neq; Unum alijs senius aut junius fieret, neq; alia uno? Quatenus verò altera semper parte differre necessè est priora posterioribus & posteriora prioribus, ex hoc est necessè seniora & juniora invicem fieri, tum cætera uno, tùm cæteris unum? Omninò. Omnibus igitur hisce caussis, Unum ipsum seipso & alijs senius & junius est & fit, & rursus neq; junius neq; senius seipso est & fit. Planè ita est.

Postquam verò unum temporis est particeps, seniusq; & junius fieri potest: nonne præterea necessè est præteriti, præsentis & futuri esse particeps, cùm tempore participet? Necessè. Erat igitur Unum, & est, & erit, fiebatq;, & fit, & fiet. Sanè. Esset quoq; illi aliquid & illius, eratq; & est & erit. Maximè. Ideoq; scientia de illo esset, opinioq; & sensus: cùm & nos hæc jam universa de illo tractemus. Rectè loqueris. Nomen item & sermo ipsi adest, nominaturq; & dicitur. Et quæcunq; etiam hujusmodi circa alia sunt, circa unum etiam existunt. Omninò sic se res habet.

Unum quomodo tempore participat?

Verùm tertio jam iterum disseramus. Si Unum ita est quemadmodum exposuimus; nonne necessè ipsum, cùm sit unum & multa, & neq; unum neq; multa, & tempore participans: quia unum est, essentia participare aliquando: & quia non est unum, non

Unum quomodo essentia participat?

participare aliqvando? Necessarium. Cùm verò participat, possibile est tùm non participare: aut qvando, non participat, participare? Non est possibile. In alio igitur tempore participat, & in alio non participat. Hoc enim solummodo, participat & non participat eodem. Rectè. Nonne est id tempus qvando accipit Esse, & Esse amittit? Aut qvomodo possibile est, ut aliqvando idem habeat, aliqvando non habeat, nisi alias id capiat, aliqvando illud dimittat? Neqvaqvam? Accipere Essentiam, nonne fieri appellas? Eqvidem. Essentia privari nonne destrui? Maximè. Vnum igitur, ut videtur, Essentiam accipiens & amittens, fit & interit. Necessè est. Cùm unum & multa sit, sive fit sive destruitur, nonne qvando fit unum, multa esse desinit: qvando verò multa, desinit esse unum? Omninò. Et cùm fiat Vnum & multa, nonne disgregari & congregari ipsum necessè est. Prorsus. Qvinetiam, qvoties dissimile simileq; efficitur, nonne assimilari & dissimilari oportet? Certè. Et qvando majus & minus & æqvale: crescere, decrescere, atq; æqvari? Sic. At qvoties ex motu in qvietem, vel ex qviete in motum transit, oportet ne hoc in uno tempore esse? Qvomodo sanè? Stans prius, moveri postea: & prius motum, postea consistere. Etenim absq; transmutatione hæc pati neqvit. Qvi verò? Tempus verò nullum est,

in

in qvo qvippiam sic se habere poßit, ut simul neq; stet neq; moveatur. Nevtiqvam. Veruntamen non transit absq; transmutatione. Non est consentaneum. Qvando ergò mutatur? neq; enim stans, neq; motum, neq; in tempore existens mutatur. Non certè.

An est hoc mirabile qviddam, in qvo tunc est qvando mutatur? Qvidnam? Momentum individuum. Hoc enim momentum certum qviddam significat, ex qvo in utrumq; transitur. Neq; enim ex statu dum stat, neq; ex motu dum movetur fit mutatio; Verùm momenti natura illa admiranda, media inter motum & qvietem intercedit, in nullo tempore existens: & in hanc & ex hac qvod motum est ad qvietem commovetur; & qvod qvievit, ad motum. Videtur. Vnum itaq; si stat & movetur in utraq; mutatur. Hoc enim modo tantum utraq; facit. Transiens avtem momento individuo transit: & cùm transit in nullo est tempore: neq; enim tunc avt movebitur avt stabit. Minimè.

Excogitatur momentum, medium motus & quietis.

Nunqvid eodem modo ad cæteras mutationes se habet? Qvando ex ipso Esse in corruptionem transmutatur, vel ex non esse in fieri; medium tunc fit qvorundam motuum, atq; statuum: & neq; tunc est, neq; non est, neq; fit, neq; destruitur. Videtur. Secundum

Vnum quomodo se habeat ad cæteras mutationes.

dum eandem rationem ex uno transiens in multa, & è multis in unum, neq; unum est neq; multa, neq; congregatur, neq; disgregatur; & ex simili in dissimile, & ex dissimili in simile migrans, neq; simile neq; dissimile, neq; assimilatum neq; dissimilatum: & ex parvo in magnum, & in ipsum æqvale & contraria transiens, neq; parvum neq; magnum neq; æqvale, non crescens, non decrescens, non ad æqvans fit. Non videtur. Hasce affectiones omnes patitur unum, si est. Qvid ni?

Si unum est quid patiantur alia?

An non considerandum præterea est, alia qvid patiantur, si unum est. Considerandum. Dicamus igitur: Vnum si est, alia ab uno qvidnam pati oporteat? Dicamus. Nonne, qvia alia unius sunt, unum est alia? alioqvin alia qvàm unum non essent. Rectè. Non tamen alia penitus sunt uno destituta, sed qvodammodo uno participant. Qvomodo. Qvoniam alia ab uno, eò qvod partes habent alia sunt qvàm Vnum: nisi enim partes haberent unum penitus essent. Probè. Partes avtem ejus qvod totum est asseruimus. Asseruimus. Atqvi totum ipsum unum ex multis esse oportet, cujus partes erunt partes. Vnamqvamq; etiam partium, non multorum partem esse oportet, sed totius. Qvomodo illud? Si qvid multorum pars esset, qvibus ipsum inesset, suiipsius qvodammodo pars esset, (qvod est impossibile) & aliorum

rum cujusq; : siquidem omnium. Vnius enim cùm non sit pars, uno excepto, aliorum omnium erit: & proinde uniuscujusq; non erit pars. Non existens verò pars cujusq;, nullius ex multis erit. Et, si nullius est, esse quicquam istorum omnium, quorum nullius, vel pars vel aliud quicquam est, impossibile erit. Videtur. Non ergò multorum nec omnium pars est, quæcunq; sit pars, sed unius cujusdam Ideæ, & unius cujusdam quod totum vocamus, factum ex omnibus unum perfectum: Cujus pars est quæcunq; pars fuerit. Omninò. Si igitur alia partes habent, cum toto unoq; participant. Omninò. Vnum igitur totum perfectum partes continens, alia ab uno necessè est. Necessè est. Et de unaquaq; parte eadem quoq; ratio est. Etenim hujus unius participem esse oportet. Si enim unaquæq; ipsarum pars est, hoc ipso quod sit unaquæq;, unum quodammodo significat. Distinctum enim quiddam ab aliis, & secundum seipsum existens significat: si modo unaquæq; singulatim est. Rectè. Erit autem unius particeps, si aliud quidpiam quàm unum fuerit: non enim participaret, sed esset ipsum unum. At verò unum esse aliquid præter ipsum unum non potest. Impossibile est. Participare autem uno necessè est, & totum & partes. Ipsum namq; unum totum erit, cujus partes sunt partes: quælibet verò pars totius, quæcunq; pars totius existit. Sic

Partes Ideæ.

est,

est. Nonne igitur, cùm alia sint quàm unum, uno participant quæ ipso participant? Quid ni? Alia verò quàm unum multa quodammodo sunt. Nam si alia sunt præter Unum, nec unum tamen nec uno plura essent, penitus nihil essent. Non sanè. Postquam autem plura uno sunt quæ una parte & uno toto participant; nonne necessè est multitudine infinita esse ipsa participantia uno? Quomodo?

Multitudo non est unũ aliquid.

Sic sanè perspiciamus. Aliud quiddam quam unum sunt ista, neq; etiam uno tunc participant, quando ipso participant. Perspicuum est. Nonne cùm sint multitudines in iis non est unum? Multitudines certè sunt. Quod si velimus intelligentia ipsa, quàm minimùm ex hisce aliquid excerpere, nonne necessè est illud quod extractum est, siquidem unius sit expers, multitudinem esse non unum? Necessè. Nonne ita semper consideranti ipsam secundum seipsam, alteram speciei naturam, quantumq; ipsius contemplemur infinitum multitudine erit? Omninò. Postquam autem quælibet pars effecta est, terminum autem invicem & ad totum habent: nec non partes ad totum. Valdè equidem. Itaq; aliis quod uni contingit: videlicet ex ipso uno & ex seipsis cum illo communicantibus, alterum quiddam, ut apparet, in ipsis fieri: quod quidem terminum invicem præbuit: ipsorum verò natura secundum seipsum, infinitatem. Manifestum

Abstracta ex multis multitudo non est una.

stum est. In hunc itaq; modum alia qvàm unum tùm tota tùm secundum partes, infinita sunt & termino participant. Omninò.

An non igitur similia & dissimilia, invicem & sibiipsis? Qvomodo verò? Qvatenus infinita sunt omnia, secundum suam naturam, idem qvodammodo patiuntur. Omninò. Qvatenus verò omnia termino participant, ex hoc qvoq; idem patiuntur. Qvid ni? Qvatenus tamen illis convenit ut sint finita & infinita, qvæ contrariæ inter sese sunt affectiones, eatenus hasce affectiones patiuntur. Certè. At contraria qvàm maximè fieri potest dissimilia sunt. Nimirùm. Secundum alteram itaq; affectionem similia erunt ipsa invicem, & sibiipsis: secundum utramq; verò utrinq; qvàm maximè contraria & dissimilia. Videtur. Itaq; alia sibiipsis & invicem similia & dissimilia erunt. Sic. Ac rursus eadem & altera, mota & qviescentia, cæterasq; contrarias affectiones suscipientia. Cætera avtem qvæ hisce accidunt, qvæ alia sunt qvàm unum facilè inveniemus, postqvam hæc ita affecta esse constat. Rectè dicis.

Alia sunt similia et dissimilia.

Qvid igitur? Nonne hæc tanqvam perspicua relinqvemus: & rursus dispiciemus, siqvidem unum est, itane se habeant alia ut unum, an ita solum? Omninò. A principio itaq; dicamus, Unum si est, cæ-

Posito uno quid patiantur alia.

tera qvid pati oportet. Dicamus sané. Nonne seorsim unum ab aliis, seorsim verò alia ab uno erunt? Cur nam? Qvia nihil est aliud præter hæc, qvod aliud sit qvàm unum, & aliud qvàm alia. Universa enim comprehensa sunt, cùm dictum est unum & alia. Universa sanè. Nihil igitur aliud est præter hæc, in qvo unum & alia eadem ratione insint.

Vnum & Alia sunt seorsim.

Non est. Nunqvam igitur in eodem sunt unum & alia. Non videtur. Seorsim ergò? Certè. Diximus præterea unum nullas revera habere partes. Qvomodo enim? Neq; totum igitur unum aliis inerit, neq; partes ipsius, si seorsim est ab aliis & partes nullas habet. Qvid ni? Nullo itaq; modo alia uno participabunt, neq; illud totum neq; secundum partes participantia. Non videtur. Qvare alia nullo modo sunt unum, neq; in seipsis unum aliqvod habent. Nevtiqvam.

Alia non sunt multa.

Neq; etiam alia sunt multa. Nam si multa essent unumqvodq; illorum, pars totius unum esset. Nunc avtem neq; unum neq; multa, neq; totum neq; partes alia sunt: cùm nihil unius participant. Rectè. Qvare nec duo, nec tria, nec ipsa sunt alia, neq; unum est in ipsis: Siqvidem uno prorsus destituuntur. Ita. Itaq; nec similia, nec dissimilia, neq; eadem alia sunt uni, neq; in illis est similitudo & dissimilitudo. Nam si similia & dissimilia ipsa essent, qvatenus in

seipsis

seipsis similitudinem & dissimilitudinem habent, duas utiq; species sibi omninò contrarias haberent alia unius ratione. Apparet. At impossibile est duobus participare quæ nullo participant. Impossibile. Neq; ergò similia, neq; dissimilia, neq; utraq; sunt ipsa alia. Etenim si similia aut dissimilia essent, una quadam altera specie participarent: Et si ambo, duabus quidem contrariis. Hæc autem impossibilia esse, apparuit. Vera dicis. Non igitur eadem, non altera, non mota, non quiescentia, non orientia, non pereuntia, non majora, non minora, non æqualia: non deniq; aliud quicquam horum patientur. Nam si tale quicquam susceperint alia, & uno & duobus & tribus pariq; & impari participabunt, quod esse impossibile visum est, cum uno per omnia sint destituta. Verissima sunt. Sic ergò, si est unum, omnia est unum, & neq; est Vnum & ad seipsum & ad alia similiter. Omninò sic se res habet.

At verò si unum non est, quid indè consequatur, considerandum est. Considerandum. Quænam hæc positio est, si unum non est? Num aliquid differt ab ista, si non unum non est? differt profectò. Num differt solummodo, vel etiam omninò contraria est bæc: si non unum non est, illius, si unum non est. Contraria. Quid verò, si dixerit aliquis: si magnitudo non est, aut parvitas non est, vel aliud quidpiam hujusmo-

Si unum non est, quid inde consequitur.

jusmodi, nonne in singulis significat, qvod aliud qvidpiam dicat ipsum non Ens? Omninò. Nonne & nunc significat, se dicere aliud qvidpiam ab aliis ipsum non Ens, qvando dicit, Si unum non est? Intelligimus qvid dicat? Intelligimus. Primum igitur aliqvid, qvod cognosci potest, dicit: deinde alterum qvàm alia, cùm unum dicit, sive illi esse adjiciens, sive non esse: Nihilominus cognoscitur, qvid non esse dicatur qvodq; differens sit ab aliis. Nonne? Necesse.

Sic itaq; ab initio dicendum, Unum si non est, qvid esse oportet. Primum enim hoc illi inesse debet, ut videtur, Esse qvandam ejus scientiam, avt nihil intelligere nos qvid dicatur, qvando qvis dixerit; Si non est unum. Vera. An non & alia altera esse qvàm illud, vel neq; illud alterum qvàm alia dici? Omninò. Igitur diversitas præter scientiam illi inest. Neq; enim aliorum qvàm alia dicit, sed suiipsius Videtur. Qvinetiam illius & hujus, & huic & horum, & omnium talium particeps est, ipsum non Ens. Neq; enim Unum diceretur, neq; ab uno alia, neq; illi qvicqvam esset, nec illius qvicqvam, neq; qvicqvam diceretur, nisi particeps ejusdem avt qvorundam talium sit. Rectè. Esse tamen unum impoßibile est, nisi existat: Participare tamen multis, nihil prohibet. Sed & necesse est,

Diversitas.

est, si qvidem ipsum unum duntaxat, nec aliud non est: Si verò neq; Vnum, neq; illud, neq; erit, sed de alio qvopiam sermo instituetur, nihil pronunciari oportet. Sin avtem illud unum duntaxat, & non aliud ponatur non esse, necessè est ipsius illius & multorum aliorum particeps esse. Omninò. Qvamobrem dissimilitudo illi est ad alia: nam cum alia altera sint qvàm unum, diversa & extranea etiam fuerint. Certè. Diversa nonne aliena? Qvidni? Aliena avtem nonne dissimilia? dissimilia. Atqvi si uni dissimilia sunt, perspicuum est, qvod dissimili dissimilia erunt. Perspicuum. Aderit itaq; uni dissimilitudo secundum qvam reliqva dissimilia sunt. Apparet. Et si illi dissimilitudo aliorum ratione competit, nonne necessè est ipsi similitudinem suiipsius ratione inesse? Qvomodo? Si uni insit unius ratione dissimilitudo, havd sanè de hujusmodi qvodam sermo erit, neq; positio de uno, sed de alio qvopiam erit, qvam uno. Prorsus. Non oportet qvidem. Non certè. Consentaneum itaq; est, similitudinem uni ipsi, suiipsius ratione inesse. Oportet.

Dissimilitudo.

Similitudo.

Atqvi nec æqvale aliis est. Etenim si æqvale esset, jam profectò illis simile existeret secundum æqvalitatem. Vtraq; avtem sunt impossibilia, cum unum non sit. Impossibilia.

Inæqualitas.

Post-

Alia non sunt uni æqualia aut inæqualia.

Postqvam verò cæteris æqvale non est, nonne & alia necessè est illi æqvalia non esse? Necessè. Qvæ avtem non æqvalia, nonne inæqvalia? Certè. Inæqvalia avtem nonne inæqvali cuipiam inæqvalia? Qvid ni? Et inæqvalitate participat unum, secundum qvam cætera illi inæqvalia sunt. Participat.

Inæqualitas est in magnitudine et parvitate.

Ceterùm inæqvalitatis est magnitudo & parvitas. Est. Qvare magnitudo & parvitas tali Vni convenit. Videtur. Magnitudo avtem & parvitas semper invicem distant. Omninò. Aliqvod medium semper intervenit. Intervenit. Potes dicere aliqvid medium inter hæc præter æqvalitatem. Non; Sed idipsum. Cuicunq; itaq; inest magnitudo & parvitas, eidem inest æqvalitas, horum existens medium. Videtur. Vni itaq; non existenti, ut apparet, æqvalitas, magnitudo, parvitas accidit. Videtur.

Vnum videtur Essentia participare.

Præterea & Essentia participare qvodammodo ipsum oportet. Qvomodo sanè? Habere seipsum oportet, eo modo qvo diximus. Si enim non ita se habet, non profectò vera dicimus, dicentes unum non esse. Sin avtem vera, manifestum est, qvod ea qvæ sunt dicimus. Nonne? Sic. Qvum avtem nos vera dicere affirmamus, necessè est nos ea dicere qvæ revera sunt. Necessè. Est igitur, ut videtur, unum non Ens. Si enim non erit non Ens, sed aliqvid ab ipso Esse remittat, ad hoc ut non sit, statim erit

Ens,

Ens. Prorſus. Oportet igitur ipſum vinculum quod-
dam habere, ipſius non Eſſe, ipſum eſſe non Ens, ſi de-
bet non eſſe: quemadmodum rurſus ipſum Ens, ipſum
non Ens habet non eſſe: ut perfectè rurſus eſſe liceat.
Sic ipſum Ens maximè erit, ipſum non Ens minimè
erit: ſi ipſum Ens participet Eſſentia Eſſendi Ens,
non autem Eſſentia Eſſendi non Ens: ſi omninò eſſe
debeat: ipſum verò non Ens non participet Eſſentia
non Eſſendi non Ens, ſed Eſſentia Eſſendi non Ens:
ſi modò non Ens rurſus penitus videri debeat. Veriſ-
ſima ſunt. Nonne igitur, poſtquam Ens non Eſſendi
particeps eſt, & non Ens ipſius Eſſendi, Vnum quoq;
cùm non ſit, ipſo Eſſe participare neceſſè eſt, ad hoc ut
verè non ſit? Neceſſè. Eſſentia igitur adeſſe uni vi-
detur ſi non eſt. Videtur. Et non Eſſentia rurſus ſi-
quidem non eſt. Quid ni? Num poteſt aliquid, quod
certo quodam modo affectum ſic ſe habere dicitur, non
ita ſe habere, cùm nondum ex hujjuſmodi habitu tranſ-
mutatum ſit? Non poteſt. Omne igitur hujjuſmodi mutationem ſignificat, quod ſic ſe aut non ſic ſe habet.

Mutatio eſt motus.

Quid ni? Mutatio, eſt ne motus? an aliud quidpiam
eam dicemus? Motus eſt. Vnum nonne Ens & non
Ens eſſe apparuit? Certè. Non ſic & non ſic eſſe ha-
bere apparuit? Apparuit. Vnum ergò non Ens mo-
veri videbatur. Siquidem mutationem ex Eſſe in non
eſſe recipit. Videtur. Enimverò ſi nuſquam in rerum

Non Ens non movetur.

 natura

natura est, cùm non sit (siqvidem non sit) aliò migrare aliundè non potest. Qvomodo? Non ergò movetur ex eo qvod transeat. Neqvaqvam. Neq; tamen in eodem versetur: idem enim nusqvam attingit. Ens enim est ipsum Ens; non Ens avtem in aliqvo eorum qvæ sunt, esse impoßibile est. Impoßibile. Neq; ergò unum non Ens, in eo verti potest in qvo non est. Non potest. Neq; etiam alteratur unum à seipso, neq; Ens neq; non Ens: alioqvin sermo de uno amplius non Esset, siqvidem à seipso ipsum alteraretur sed de alio qvodam. Rectè.

Non Ens quia est immobile, videtur quiescere.

Si neq; alteratur, neq; in eodem vertitur, neq; progreditur, qvo tandem modo movetur? Qvonam? Necesse est illud qvod immobile est qviescere: qvod verò qviescit, stare. Necesse. Vnum itaq;, ut videtur, non existens stat & movetur. Videtur. Atqvi si movetur, necesse est, procul dubio, alterari; qvatenus enim aliqvid movetur, eatenus non ita est affectum ut erat, sed aliter. Sic. Vnum igitur motum etiam alteratur. Certè. Et nullo modo motum, nullo modo alteratur. Neqvaqvam. Qvamobrem unum qvod non est, qvâ qvidem ratione movetur, etiam alteratur: qvâ verò non movetur, neq; etiam alteratur. Non. Ideoq; Vnum si non sit, alteratur: & minimè alteratur. Apparet. Alteratum avtem, nonne necesse est fieri alterum qvàm prius, & priorem habitum

Quod movetur alteratur.

bitum relinqvere? Qvod verò non alteratur, neq; fieri neq; interire? Neceſſè. Qvare Vnum non Ens, motum, fit & perit: non verò motum, neq; fit neq; perit. Atq; ita Vnum non Ens, fit & perit; & neq; fit neq; perit. Sic eſt.

Rurſus avtem ad principium redeamus, conſideraturi an hæc nobis videantur eadem qvæ hactenus, an verò alia. Oportet ſanè. Nonne, ſi unum non eſt, jam diximus qvid circa illud accidat? Certè. At qvoties non Ens pronunciamus nihil aliud ſignificamus qvàm Eſſentiæ abſentiam ab eo qvod dicimus non Eſſe. Nihil aliud. Vtrum igitur qvando dicimus non Eſſe aliqvid, aliqvo modo ipſum non Eſſe dicimus, aliqvo modo Eſſe? An potiùs hoc ipſum non Eſt qvoties dicitur, ſimpliciter ſignificat, qvod nullo prorſus modo uſqvam eſt: nullaq; ratione Eſſentia participare, cum non ſit. Simpliciſſimè certè. Neq; ergò eſſe, ipſum non Ens poteſt; nec alio prorſus ullo modo Eſſentia participare. Minimè. Fieri avtem & interire num aliud eſt, qvàm illud qvidem Eſſentiam accipere, hoc verò amittere? Nihil aliud. Ergo cui nihil cum Eſſentia commune, nunqvam avt accipit ipſam avt amittit. Qvomodo vero? Vni ergo, cùm nullo modo ſit, neq; habenda, neq; dimittenda, neq; aſſumenda ullatenus Eſſentia eſt.

Non Ens ſimpliciter eſſe non poteſt, nec Eſſentia participare.

Quid fieri ſit, quid interire.

Non Ens, nec fit, nec alteratur.

Verisimile est. Non itaq; interit unum, cùm non sit: neq; fit, qvandoqvidem nulla ratione Essentiæ capax est. Non videtur. Neq; igitur ullo modo alteratur: jam enim fieret & interiret si hoc pateretur. Verum. Si non alteratur, nonne etiam necesse est nevtiqvam moveri? Necesse. Neq; verò stare dixerimus nullibi existens: qvod enim stat in aliqvo eodem semper esse oportet. Qvid ni? Sic nimirum ipsum non Ens, neq; stare unqvam neq; moveri dicamus. Nunqvam.

Non Ens non stat.

Non Enti nullum inest Ens.

Præterea nihil ex iis qvæ sunt, illi adest: jam enim Essentia participaret, utpote qvod alicujus existentis esset particeps. Manifestum est. Non igitur magnitudo, non parvitas, non æqvalitas inest. Nevtiqvam. Neq; etiam similitudo aut diversitas illi avt ad seipsum avt ad alia inerit. Non videtur. Qvid verò? Num alia ullo modo illi inesse oportet? Havd licet. Qvare alia non erunt illi similia non dissimilia, non eadem, non alia. Non sanè.

Qvid verò? Num Illius, Illi, Aliqvid, Hoc, Hujus, Alterius, Alteri, Qvando, Postea, Nunc: sev scientia, Opinio, Sensus, Oratio, Nomen, avt aliud qvidpiam rerum existentium, circa ipsum, qvod non est, existet? Nevtiqvam. Sic igitur unum, si non est, nullo prorsus modo usqvam sese habet. Non sanè videtur ullo modo se habere.

Si unum non est, quid patiuntur alia?

Amplius avtem dicendum est, Si unum non est,

qvid

qvid oportet alia pati? Dicamus sanè? Ista alia oportet existere. Nisi enim alia essent, havd sanè de ipsis aliis dissereretur. Sic. Qvod si de aliis est sermo, alia profectò altera sunt. An non idem, tamen aliud & alterum vocas? Eqvidem. Alterum nonne ab altero alterum; & aliud qvidem ab alio aliud esse dicimus? Certè. Ergò ipsis aliis, si modò alia futura sunt, aderit aliqvid à qvo alia erunt. Necessè. Qvidnam illud erit? Ab uno qvidem alia non erunt, cùm illud non sit. Non certè. Invicem itaq; alia sunt. Id enim solum illis restat: alioqvin à nullo alia erunt. Rectè. Secundum multitudinem itaq; singula invicem sunt alia. Etenim secundum unum neqveunt, non existente uno.

Alia sunt sibi invicem alia.

Verùm qvilibet, ut videtur, acervus illorum multitudine infinitus est. Et si qvispiam sumpserit id, qvod minimum esse apparet, veluti in somno, repentè pro eo qvod unum visum fuerit, plura erunt: Et pro eo qvod minimum apparuit, qvàm maximum jam apparebit, si ad illa dissecta conferas. Rectissimè. In hujjusmodi acervis alia diversa invicem præter unum erunt: si, non existente uno, alia erunt. Maximè. Annon plures acervi erunt, qvorum qvilibet unus primâ fronte videbitur, nullus avtem unus erit, cùm ipsum unum minimè sit. Sic. Numerus item illorum aliqvis esse videbitur; siqvidem & unum qvodlibet, cùm tamen multa sint. Valdè qvidem. Partim avtem paria; partim

Quilibet multorum aliorum acervus infinitus uidetur.

verò imparia falsò videbuntur, siqvidem unum non est. Certè. Qvod igitur minimum, ut diximus, in iis esse videbitur, illud multa & magna, comparatione singulorum qvæ etiam multa sunt, apparebit. Qvid prohibet? Qvin etiam acervus qvisq; æqvalis multis parvisq; acervis esse videbitur. Non enim ex majjori in minus transisse videretur, nisi videatur prius pervenisse ad medium. Hoc avtem Phantasma qvoddam æqvalitatis erit. Verisimile est.

Quod aliud respicit in seipso neq; principium, neq; finem, neq; medium habet.

Nonne qvod terminum ad alium acervum habet ipsum ad seipsum neq; principium, neq; finem, neq; medium habet? Qva de cavssa? Qvia semper, cùm qvis horum aliqvid intelligentiâ fuerit complexus, ante principium aliud semper apparebit principium: & post finem alius semper finis subseqvetur: nec non in medio alia semper interiora qvàm medium: minora tamen, ob id qvia neqvit unum aliqvid in hisce accipi, cùm unum minimè sit. Verißimè. Discerpi deniq; necessariò, arbitror, dispersum, qvodcunq; intelligentiâ qvis assumserit. Semper enim acervus expers unius accipitur. Omninò.

Quæ eminus videntur unum, cominus multa sæpius apparent.

Nonne hujjusmodi qviddam eminus et obtusè perspicienti, unum apparere necesse est? Cominus avtem et acutè consideranti, multitudine infinitum, unumqvodq; apparere, siqvidem uno, qvod non sit, destituatur? Maximè necessarium hoc est. Sic itaq; infinita, et finem habentia,

36

bentia, et unum et multa, quodlibet alia apparere oportet, si unum non est, sed alia præter unum. Oportet sanè.

Annon similia & dissimilia quoque videbuntur? Quomodo verò? Nam cum veluti adumbrata eminus perspicienti, unum appareant omnia, in eodem aliquo communicare, similiaque esse videbuntur. Prorsus. Propiùs verò accedenti, multa & altera, & ipsâ diversitatis imagine altera sibiipsis & dissimilia. Sic. Similes item atque dissimiles ipsos acervos, sibiipsis, & invicem apparere necessè est. Magnoperè.

Quæ Eminus similia, cominus dissimilia sæpe uidentur.

Nonne etiam eosdem & alteros invicem, & contiguos sibi, & seorsim à seipsis, omnibusque motibus agitatos, & ubique stantes orientes & occidentes, & neutra ac omnia hujjusmodi, quæ quidem percurrere facile nobis esset, si, uno non existente, multa fuerint. Verissima.

Redeuntes iterum ad principium, dicamus, si non est unum, quid aliis præter unum, sit eventurum. Dicamus sanè. Nonne igitur unum erit alia? Quomodo? Neque verò multa: in iis enim quæ multa sunt inest etiam unum. Etenim si nullum illorum est unum, cuncta nihil sunt: atque adeo plura non erunt. Vera. Cùm itaque unum non insit aliis, neque unum neque multa sunt alia. Minimè. Neque verò apparet unum neque multa. Curnam? Quoniam alia cum iis quæ non sunt, nullum omninò commercium habent: neque quicquam

Si unum non est, quid aliis præter unum eveniet?

ex iis quæ minimè sunt, ad aliquid aliorum attinet: nulla enim pars adest iis quæ non sunt. Vera. Neque igitur opinio de eo quod non est in aliis inest, neque imago: neque ullo modo id quod non est, ab aliis opinione ullo modo concipitur. Nequaquam. Quare si unum non est, nihil aliorum opinione concipitur aut unum aut multa esse. Nam absque uno multa opinari impoßibile est. Impoßibile nimirum. Vnum itaque si non est, alia neque sunt: neque etiam opinione cogitatur unum aut multa esse. Non videtur.

Si unum non est, alia neque sunt, neque cognoscuntur.

Neque igitur similia, neque dißimilia. Nequaquam Neque etiam eadem aut altera, neque contigua, neque seiuncta: neque alia, quotcunque in superioribus enarravimus, quæ ad ipsa alia spectare videantur, neque sunt alia, neque alia videntur, si unum non est. Vera. Nonne, ut summatim, si dixerimus, Si unum non est, nihil est, rectè dicemus? Omninò. Hoc itaque dicatur & illud quoque: Quod, ut videtur, sive unum sit sive non sit, tum ipsum tum etiam alia ad sese, atque invicem omnia omninò sunt atque non sunt, apparentque & non apparent. Verißima sunt hæc.

Si unum non est alia non sunt aut similia aut dißimilia.

FINIS PARMENIDIS.